









HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPITOME.

SCHOLIS ACADEMICIS


SCRIPSIT

D. JO. CHRISTIANUS GUILELMUS AUGUSTI,

THEOLOGUS BONNENSIS.

LIPSIAE,
IN BIBLIOPOLIO DYKIANO.

1834.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA

VIRO

VENERABILI ET DOCTISSIMO

JOANNI CAROLO LUDOVICO GIESELER,

PHILOS. ET THEOL. DOCTORI, HUJUSQUE IN ALMA GEORGIA AUGUSTA GOETTINGENSI P. P. O.

D. D. D.

Quod historiae ecclesiasticae epitomen Tuo, Vir amicissime, nomini inscribam, id fortasse multi, Tu autem nullo modo mirabere. Tu enim ex collegiali et familiari duodecim annorum consuetudine bene scis, quantum Te semper fecerim, quantusque meus in Te fuerit favor amorque vere fraternus. Sed persuasum Tibi quoque est, hunc amorem, post discessum Tuum ex alma nostra Rhenana, quem ego omnesque mei Collegae conjunctissimi ad hunc usque diem lugemus semperque lugebimus, non esse nec unquam fore imminutum. Superfluum itaque videri posset, id denuo affirmare, de quo nullo modo dubium. Quum tamen non omnes idem cogitent ac sentiant, ut nos, quumque haud pauci sint, qui verum animorum consensum sinceramque amicitiam inter illos Theologos eandem Theologiae partem et disciplinam profitentes, qui in ipsis Theologiae principiis non prorsus consentiant diversamque methodum sequantur, non locum habere posse putent, horum jam causa hocce meum qualecunque testimonium publice interponere volui.

Opus praeclarum, quo Tu, immortalis *Planckii* nostri successor, studium historiae ecclesiasticae ita adjuvisti, ut pauci vel nulli inter Nostrates in hoc litterarum genere Tibi sint aequiparandi, quodque nomen Tuum apud omnes idoneos harum rerum aestimatores fecit facietque illustre, rationem ac methodum, qua historiam sacram tractas, satis clare testatur. Et haec quidem, ex meo quoque judicio, quam maxime commendanda aliisque tractandi methodis longe praeferenda. Tu enim crisin, sine qua nulla vera et genuina esse potest historia, exerces, sed non eam *ψευδόκρισιν*, quae omnia, quae non arrident et cum nostri aevi sentiendi cogitandique ratione non concordant, temere rejicit et damnat, perpetuumque quasi contra dogmata atque instituta antiquae ecclesiae gerit bellum; sed rectam illam, modestam ac sobriam, quae vera a falsis, certa ab incertis bene distinguens, non de eo quaerit, quid fieri debeat, sed quid factum sit, quaeque rerum eventus personarumque memorias non pro suo modulo metitur ac judicat. Tu denique, ut par est Theologo, cum reverentia et pietate tractas historiam ecclesiasticam, sed non cum ea, sive fucata et hypocritica, sive caeca pietate, quae, ratione rectrice destituta, in obscurum et nebulosum Pietismum abit.

Non latet, nec Te, nec me, inter Nostrates esse haud paucos, qui omnem historiae usum respuant, simulac aliquid ex historia profertur, quod ipsis non placet. Historia, clamitant, narrat res gestas, non autem gerendas; ex ea discimus solum, quid tempore praeterito sit factum, non autem, quid in praesenti et futuro sit faciendum; in his igitur non historia, sed ratio recta, h. e. Philosophia est audienda. Iidem tamen nullo modo dubitant, ad historiam recurrere et provocare, ubi in ea suae rationis, quam rectam rectissimamque praesumunt, nonnulla exempla et documenta reperisse sibi sunt visi. Inconstanti itaque consilio isti homines historiam modo damnant, modo commendant, eaque vario modo, pro suis votis, desideriis ac praejudiciis, abutuntur. Cernitur iste abusus quam maxime in historia dogmatum, sed in omnibus quoque quaestionibus, quae ad formam ecclesiae, ad instituta vitamque ecclesiasticam spectant. Protestantismum sine historiae auxilio defendi non posse vident; sed Protestantismum sibi fingunt ac defendunt, qui in ipsorum ingenio potius, quam in historia suas habet radices.

Sunt alii, qui communem hanc, ut dicunt, empiricam et trivialem historiam ex factis tractandi methodum fastidientes, ex idearum fonte sua facta



eligere, quae ipsi prae ceteris digna, utilia et necessaria videntur. Non igitur culpabimus illum, qui ad historiam internam animum intendens de doctrina christiana ejusque effectu, de vita moribusque Christianorum, de cultu, de pietatis exercitiis atque auxiliis, aliisque ejusmodi rebus ad statum domus Dei, ut dicunt, populique sancti diligentius et cum pietate exponat. Item non reprehendendus ille, qui historiam externam praeferens iis potissimum capitibus inhaeret, quae ad formam societatis ecclesiasticae, ad fata, statum, conditionem et administrationem ecclesiae, vel ad controversias, vel ad litterarum statum spectant. Denique et in eo Te mihi consentientem habebo, legem de vitando partium studio, quae omnibus, qui historiae studium profitentur, sacrosancta esse debet, non adeo esse extendendam, ut ab omni ecclesiae nostrae et confessionis praerogativa justaque defensione abstineamus. Indifferentismus et Syncretismus nullo modo commendandus, quippe qui veritatem et conscientiam non curet, et fructus proferat minime bonos ac laetos. Equidem non amo illos scriptores catholicos, quorum exempla nostris diebus plura extant, qui Protestantismum aut profitentur aut simulant, et nihilominus Catholici vocari volunt. Sed idem approbare nullo

modo possum, ubi Protestantes illa genuini Protestantismi principia deserere video, quibus ecclesia evangelica tanquam firmissimo suo nititur fundamento. Quaelibet ecclesia habet sua jura et bona, quae vindicari ac defendi possunt sine offensione atque injuria, dummodo defensores cum sincero veritatis amore aequitatem et modestiam conjungant.

Quod autem ad methodum historiam ecclesiasticam in scholis academicis tradendi attinet, in hac quoque parte libertas et varietas adhibenda esse videtur. Mos quidem academicus in Germania ita ferre solet, ut lectiones de historia ecclesiastica per integrum annum adeoque per biennium instituantur continuae. Neque improbandus ille mos, si gravitatem rei materiaeque amplitudinem cogitamus, quae ejusmodi est, ut vix triennii spatio aliquatenus exhauriri possit. Ut autem utilitate sua non caret, vastum *historiae universalis* campum unius semestris spatio perlustrare, ita et conspectus universae historiae ecclesiasticae sua commoda habebit. Idque eo magis, ubi *Historia dogmatum*, *Archaeologia ecclesiastica*, et *Theologia patristica*, quae potiores sunt historiae ecclesiasticae partes, singulis praelectionibus tractantur, quo fit, ut eo expeditius ad historiam eccle-

siasticam stricte sic dictam, i. e. ad fata societatis Christianorum, possit attendi. Ejusmodi autem epitome Theologiae studiosis bene inservire poterit, sive instar introductionis ad profundius historiae sacrae studium, ad quod maximopere sunt invitandi, sive post singularum partium tractationem et coronidis loco. Ita fieri poterit, ut nec ex superficie tantum hauriant, nec, carentes illo δός μοι ποῦ στῶ, sint veluti nantes in gurgite vasto. In hoc autem negotio nil magis optandum esse videtur, quam ut historia ecclesiastica a pluribus doceatur magistris. Varietas enim, ut in aliis disciplinis, ita quam maxime in hac, et delectat et prodest.

Hoc mihi consilium fuit, quum primum, ad exemplar b. *Staeudlinii* aliorumque Theologorum, per aestatem a. MDCCCXII in alma Universitate Viadrina Vratislaviensi lectiones compendiarias et quasi cursorias de historia eccl. haberem, easque deinde vario tempore continuarem, Collegis meis conjunctissimis, *D. Schulzio* et *Scheibelio*, uberiorem historiam, lectionibus continuis et statariis, enarrantibus. Eandemque sequutus sum rationem et methodum in alma nostra Rhenana, ubi a Te, et a Collega nostro atque amico optimo *D. Lückio*, lectiones statariae sunt habitae: id quod nunc, post Vestrum discessum, a Collegis conjunctissimis

D. Rheinwaldo et *Lic. Redepenningio* pari fit modo. Non possum autem, quin hac occasione, non Tua nostrique amici, sed aliorum causa, commemorem aliquid, quod in vita academica rarissime occurrere solet probatissimumque exhibet testimonium, quam liberum fuerit Collegium nostrum ab omni invidia pravaque aemulatione, et quam parum apud nos fiat juxta illud proverbium tritum: *figulus figulum odit!* Noster enim *Lückius* non dubitavit, in suis lectionibus Tuo uti compendio; hocque modo non solum praestantiam Tui libri, sed etiam liberaliorem benevolumque animum, quo insignis est, egregie comprobavit. Quod quidem exemplum et ego libenter imitatus essem, si libri Tui laudatissimi moles atque indoles id permisisset. Lectionibus igitur meis cursoriis jam Vratislaviae compendiolum conscripsi, quod nunc latino sermone in publicum emitto, ut habeant auditores illum ad manus, quo commode uti possint, utque non semper opus sit ad dictamina recurrere.

Ut autem rectius de hujus compendioli indole ac ratione judicari possit, hoc addendum puto, me meas lectiones non solum Theologiae studiosis, sed etiam *Philologiae* et *Jurisprudentiae* cultoribus destinasse, et ex horum numero et Vratislaviae et Bonnae nonnullos habuisse auditores. Plu-

res fuissent optarem, non lucri sane vel jactationis, sed litterarum gratia. Nam de eo nemo eruditorum dubitat, historiam ecclesiasticam Philologis et Jurisconsultis ultra crepidam sapere cupientibus quam maxime esse utilem ac necessariam. Jam vero quum illis in cursu academico vix liceat, tali studio integrum annum vel biennium consecrare, succincta historiae ecclesiasticae universalis enarratio occasionem idoneam in hoc studio proficiendi praebere videtur. Mirum tamen, inter illos ipsos Jurisconsultos, qui non sine arrogantia quadam, ut mihi videtur, *Scholam historicam* profitentur, paucissimos reperiri in historia, non solum ecclesiastica, sed etiam universali, politica et litteraria, rite versatos. Hi certe vestigia *Hugonis Grotii*, *Morhofii*, *Pufendorfii*, *Leibnitzii*, *Pertschii*, *Boehmeri* aliorumque in hoc genere litterarum clarorum virorum non sequuntur!

Quum autem officii mei non sit, alienum gregem curare, optare quidem non desino, ut historiam sacram non negligant, ab illo tamen postulato: cogite intrare! longe absum, nulla alia, quam quae ex amore litterarum oritur, persuasione usurus. Satisfiet mihi, si, ut olim, ita et in posterum unus vel alter Philologus vel futurus Themidis sacerdos lectionibus meis aut hac in eorum

quoque gratiam scripta epitome diligenter et cum fructu uti velit.

Quod ad *supellectilem litterariam* attinet, facile videbis, Vir optime, mihi legem parsimoniae fuisse scriptam, meque ex largissima illa messe, quae in libro Tuo et in observationibus criticis et litterariis in opere menstruo: *Theologische Studien u. Kritiken*, sicuti in Cl. *Fuhrmanni* Lexico man. et in nonnullis aliis libris prostat, ea tantum elegisse, quae ad usum meum necessaria viderentur. Ab omni litteratura (sit venia verbo!) abstinere, in tali libello nullis idoneis suaderi poterat argumentis. *Memorabilia chronologica* adjeci, non integras Tabulas chronologicas, quales habemus multas satisque bonas, iisque commendandas, qui plura cupiunt. Equidem praeferendum duco, historiae tirones paucos sed praecipuos numeros memoriae inculcare firmiterque tenere, quam ingenti copia atque farragine numerorum et nominum memoriam simulque judicium onerare.

Haec sunt, amice, quae in fronte libelli Tuo nomini consecrati monere volui. Tu quidem, optimus harum rerum arbiter, plura fortasse in eo invenies, quae Tibi minus placeant, quaeque ex Tua sententia minus recte judicata atque exposita

videantur. Sed a Tua humanitate atque aequitate veram justitiam i. e. constantem ac perpetuam voluntatem unicuique jus suum tribuendi, quam etiam laudabiliter exercere soles, prae ceteris erga me meumque libellum exspectare possum. Nil igitur addam nisi optatum, ut hancce meam epitomen eo animo, quo Tibi dico, et tanquam sinceri amoris perpetuaeque amicitiae tesseram ac pignus, benevole accipias. Faxit Deus T. O. M. ut opus Tuum praeclarum tam feliciter et alacriter, ut coeptum est, ad finem perducas, utque per multos adhuc annos, ad prosperitatem ecclesiae evangelicae, ad litterarum bonarum et sacrarum emolumentum et commodum, Tuorumque salutem prosperrime vivas. Vale mihique et in posterum semper fave

Tibi addictissimo

Dabam Bonnae,
d. XXI. Martii MDCCCXXXIV.

Joanni Christiano Guilelmo Augusti.

CONSPECTUS.

PARS PRIMA.

Historia ecclesiae antiquae.

PARS SECUNDA.

Historia medii aevi a Carolo M. usque ad Lutherum.

PARS TERTIA.

Historia recentioris aevi.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPITOME.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

PARS PRIMA.

HISTORIA ECCLESIAE ANTIQUAE.

PERIODUS PRIMA.

Ab origine ecclesiae christianae usque ad Constantinum M. a. 30—325.

Jo. Laur. Moshemii Commentarii de rebus Christianorum ante Constantinum M. Helmst. 1753. 4.
Jo. Sal. Semler Commentar. hist. de antiquo Christianorum statu. P. I. II. Hal. 1771–1772. 8.
— — — Observat. novae, quibus historia Christianorum studiosius illustratur usque ad Constant. M. 1784. 8.
— — — neue Versuche die Kirchenhistorie des ersten Jahrhunderts aufzuklären. L. 1788. 8.
Jo. Clerici historia eccles. duorum priorum saeculorum. Amstelod. 1716. 4.
J. A. Starck's Geschichte der chr. Kirche des ersten Jahrh. I—III. B. Berl. 1779—1780. 8.

Cap. I.

Origines et fata ecclesiae.

§. 1.

Historia ecclesiastica inde ab ecclesia condita, sive ab illo temporis momento, quo Jesus Christus, filius et legatus Dei, in hunc mundum mis-

1*

sus, muneris sui inauguratione et discipulorum vocatione, novam religionis causa societatem instituit, primordia sua capit. Duobus autem haec societas insignitur nominibus, quorum alterum formam externam, alterum vero naturam et conditionem internam propius designat. Nomen quidem ἐκκλησία societatem legitime constitutam et bene ordinatam indicat. Titulus autem βασιλεία τῶν οὐρανῶν impedit, quo minus ecclesiam vel scholam, vel consociationem politicam habeamus. Hanc esse in scriptis N. T. notionem, ex consilio et oeconomia Evangeliorum intelligitur, quae historiam novi foederis principaliter inde a munere Jesu Christi inchoant.

C. F. Staeudlin Comment. de notione ecclesiae et eccles. hist. 1795. 4.
C. Chr. Flatt de notione vocis βασιλεία τῶν οὐρανῶν ex ipsis Christi dictis eruta. 1794. 4.
A. C. C. Hoelty ecclesiae chr. notio ex Catholicorum et Protestantium doctrina efformata et judicata. 1824. 8.

§. 2.

Rectius igitur annus XXX historiae ecclesiasticae annus, quem dicunt, normalis esse videtur. Attamen non acriter cum iis pugnandum, qui inde ab ipsa aera christiana, sive anno nativitatis Christi, cui, juxta Chronologiam a *Dionysio Exiguo* introductam, annus 754 ab urbe condita respondeat, historiam ecclesiae ordinare solent. Ubi tamen monendum, jam antiquissimis temporibus et annum, et mensem, et diem, quo natus Christus, dubium fuisse, et festum nativitatis Jesu Christi ad diem XXV Decembris non nisi fine saec. IV. esse

introductum. Ceterum omnis historia Salvatoris nostri a prima infantia usque ad ejus baptismum tam manca et fragmentaria est, ut, tacentibus N. T. scriptoribus aliisque fide dignis testibus, nullo modo ad amussim exponi possit. Ad supplendum hujus historiae defectum scripti sunt illi libri, qui *Protevangelia* vocantur, quorum tamen origo atque auctoritas tam dubia et incerta est, ut sine praecautione critica ad usum historicum nullo modo sint adhibendi.

G. A. Hamberger de Epochae christianae ortu et auctore. 1688. 4.

Jo. G. Jani historia Aerae Dionysianae. 1715. 4.

Dom. Magnani de anno nativitatis Chr. Romae 1772.

J. A. Ernesti de anno, quo natus fuit Chr. 1774. 4. (Opusc. phil. crit. Edit. 2. p. 420 seqq.)

L. J. Uhland Christum ante aeram vulgarem a. IV. exeunte natum esse contra Dom. Magnanum demonstratur. 1775. 4.

Quae de Jesu Christi persona et vita, extra N. T. testimonia, circumferuntur, ad Mythologiam potius, quam ad historiam sunt referenda. Hujus generis sunt *testimonium Josephi de Christo* (de quo nuper a *Bretschneidero*, *Boehmerto*, *Eichstadio* aliisque in utramque partem docte atque acute disputatum), *Epistola Christi ad Abgarum*, *Epistola Lentuli*, *Acta Pilati*, *Evangelium Infantiae*, *Ev. Nicodemi* et nonnulla alia.

§. 3.

A muneris inauguratione, quam quatuor Evangelistae copiosius exponunt, certa incipit vitae Jesu Christi terrestris historia. Hujus autem accuratior expositio in Evangeliorum commentariis et in libris de historia biblica petenda, hic vero suppo-

nenda erit. Id tantum ex historia et oeconomia N. T. repetendum, Dominum nostrum Jesum Christum esse *τὴν κεφαλὴν τοῦ σώματος*, (*τοῦτ' ἔστιν*) *τῆς ἐκκλησίας* (Coloss. I, 18. Ephes. I, 23.) eumque discipulis suis atque Apostolis rite vocatis mandatum dedisse, ut post ejus reditum ad patrem ecclesiam ab ipso instauratam suo nomine conservarent, augerent et regerent. Ut ad hoc negotium magis idonei redderentur, cum Apostolis Spiritus Sanctus, quem tanquam *ὁδηγὸν* et *παράκλητον* Dominus promiserat (Jo. XIV, 16. 26. XV, 26. XVI, 7.), communicatus fuit. Post hanc solemnem muneris Apostolici inaugurationem (Actor. II.) S. Evangelii praecones, ulterius Hierosolymis commorantes, ecclesiam ibi plantatam communi consilio et opere curaverunt. Quam diu autem in urbe sancta manserint, et quo pacto negotium de evangelio inter gentes praedicando inter se diviserint, pro certo non constat, cum traditionibus de hac re variis non multum auctoritatis sit tribuendum.

Omnia fere, quae de Apostolis extant ex aevo sequiori testimonia valde sunt suspecta et fabulis mixta. Id inprimis valet de *vocatione et divisione Apostolorum* (in cujus memoriam festum d. XV Jul. institutum creditur), de eorum *symbolo*, *vita*, *fatis*, *itineribus et passionibus* etc.

Jo. A. Schmid de habitu et insignibus Apost.
— — — de Apostolis uxoratis. 1734. 4.
Jo. Chr. Köcher de Cathedris Apost. 1751. 4.
J. Fr. Meyer de conventu Apost. ad mortem Mariae. Lips. 1671. 4.
Lud. Cappelli historia Ap. illustrata. 1683. 4.
J. F. Buddeus de ecclesia Apost. 1729. 8.
A. Neander Geschichte der Pflanzung und Leitung der chr. Kirche durch die Apostel. Hamb. 1832. 8.

§. 4.

A scriptoribus N. T. id potissimum agitur, ut demonstrent, Apostolum Paulum, etsi a Christo, dum in his terris versaretur, non in numerum discipulorum aut Apostolorum receptus fuerit, nihilominus legitime esse vocatum, et receptionem Gentilium ab hoc Apostolo haud temere esse tentatam, et neutiquam cum consiliis et mandatis Domini pugnare. Acta Apostolorum eo inprimis consilio et fine scripta esse videntur, ut consensus inter Apost. Paulum et Petrum doceatur, qui, etsi pro animorum, facultatum atque studiorum diversitate, interdum in diversas abirent partes, semper tamen, ubi de religionis atque ecclesiae chr. commodo ageretur, causam fecerint communem. Hoc tenendum, ne quis titulum hujus libri a multis male intellectum: *Πράξεις τῶν Ἀποστόλων* sinistre accipiat.

J. E. Chr. Schmidt Chronologie der Apostelgeschichte. (v. *Keil* et *Tzschirner* Analekten. III. B. I. St.)

Süskind Versuch chronolog. Standpuncte für die Apostelgesch. Cf. Ejusdem vermischte Aufsätze. 1831. 8. p. 207—244.

Jo. Pearson Annales Paulini; in Opp. posth. chronol. 1688. 4.

W. Paley Horae Paulinae. Edit. *Henke*. 1797.

K. Schrader der Apostel Paulus. Th. I—III. L. 1830 -1833.

§. 5.

Opera Pauli, qui *Ἀπόστολος τῶν ἐθνῶν* vocatur (Rom. XI, 13.), ejusque discipulorum et sociorum factum est, ut regula de recipiendis Gentilibus in numerum Christianorum, absque legis

Mosaicae cerimonialis observatione, etiam a Judaismi fautoribus reciperetur. Ab hac autem regula omne fere Christianismi incrementum et latissimus ecclesiae pendebat ambitus. Ex quo, post excidium Hierosolymorum (a. LXX.) et reipublicae Judaicae eversionem, Deus ipse causam particularismi judaismi deseruisse videbatur, Christianorum quoque judaizantium spes evanescere coeperunt. Ab illo inde tempore rarius minusque vehementer, quam antea, contra consociationem utriusque Christianorum familiae (τῶν ἐξ Ἰουδαίων, et τῶν ἐξ ἐθνῶν) pugnatum est, et ad formandam stabiliendamque *ecclesiam catholicam* proclivior facta et facilior via.

J. E. Chr. Schmidt über die Entstehung der katholischen Kirche. S. Bibl. für Krit. und Exeg. II. B. I. St.
G. J. Planck Gesch. des Christenthums in der Periode s. ersten Einführung in die Welt. Th. I. II. 1818. 8.
J. Chr. Greiling über die Urverfassung der apost. Christen-Gemeinden. 1819. 8.

§. 6.

Iter a *Polycarpo*, Episcopo Smyrnaeo, medio saec. secundo (circa a. 152—160), eo quidem potissimum consilio susceptum esse constat, ut Polycarpus Romae cum *Aniceto* de tempore et ritu Paschali, de quo inter ecclesias Orientales atque Occidentales controversia erat, tractaret. Hoc quidem negotium non ex voto cessit, cum nec Orientales nec Occidentales a sua, exemplo Apostolorum confirmata, consuetudine recedere vellent, hac tamen occasione ab utraque parte declaratum est, ejusmodi res inter *ἀδιάφορα* esse

reputandas, in quibus, salva pace et communione ecclesiarum, variae consuetudines, observationes et cerimoniae esse possint. Ejusmodi autem declaratio et observantia tanquam prima ecclesiae catholicae inauguratio consideranda est 1). Ab illo inde tempore ecclesia catholica illis doctoribus et coetibus Christianorum opposita est, qui ejusmodi consociationem admittere nollent, quique ob separationis studium *αἱρετικοὶ* (quo vocabulo jam Apostoli, licet non eodem prorsus sensu, usi sunt) vocabantur 2). Inter doctores, qui consociato studio causam ecclesiae patrocinati sunt, *Justinus Martyr*, *Irenaeus* et *Tertullianus*, tanquam ecclesiae catholicae Triumviri s. columnae, eminent.

1) De commercio inter Polycarpum et Anicetum v. Euseb. hist. eccl. lib. V. c. 24. Ed. *Heinichen*. Vol. II. p. 124—129. Vol. III. p. 375 seqq.

2) 1 Cor. XI, 18. 19. Gal. V, 20. 2 Petr. II, 1. Tit. III, 10. 11. *H. Dodwell* Dissert. I. ad Iren. *Thom. Ittig* de Haeres. aevi apost. Prooem. *Hartmann* de rebus gestis sub Apost. p. 525 seqq. *Mosheim* unparth. und gründl. Ketzergeschichte. 1746. 4. p. 357 seqq.

§. 7.

Jam in fine saec. primi religionem christianam in omnibus fere imperii Romani provinciis divulgatam esse, legimus. Apologetae autem, dum inde providentiam Dei singularem et religionis christianae divinitatem probarent, recte quidem hoc usi sunt argumento, in eo tamen taxandi, quod unice huic argumento inhaerentes non nisi ad effectum miraculosum attenderent. Melius sine dubio causae suae consuluissent, si, non neglecto

quidem hoc argumento, ad ipsam naturam religionis christianae indolemque internam, simulque ad statum et conditionem temporum et populorum, quibus tradita est Christi doctrina, accuratius respicere voluissent.

Testimonia veterum de rapida religionis chr. propagatione sub censuram vocavit *G. A. Osiander:* Ueber die Ausbreitung des Christenthums; ein krit. Beitrag zur Kirchengesch. der ersten drei Jahrhunderte. V. Archiv für alte und neue Kirchengesch. IV. B. II. St. p. 331 seqq. Ad *Islamismum* inprimis est respiciendum.

§. 8.

Inter causas, quibus admirabili quadam rapiditate promota est religio christiana, primo loco ponendae sunt *Christianorum persecutiones.* Verissime enim a Tertulliano (Apolog. c. 1. 50. ad Scapul. c. 5. de fuga c. 1 sqq.), Origene (exhort. ad martyr.) aliisque patribus docetur, fidem christianam ipsis persecutionibus fuisse auctam, et ex martyrum sanguine laetissimam ecclesiae progerminasse segetem. Inter ipsas vexationes ac turbationes divina religionis chr. vis, et Christianorum intrepidus sese manifestavit animus. Ceterum nullo modo negari potest, de *martyrio* non semper verum ac justum prolatum esse judicium, dum alii nimium ei tribuerent pretium, alii contra, quod iterum nostris temporibus interdum factum, impio fere et frivolo animo ad contemptum et contumeliam illud traherent.

De *refragatoribus martyrii* loquitur Tertullianus (Scorp. c. 1.), et tales Celsus, Lucianus, Porphyrius aliique multi, etiam nostris diebus, fuerunt.

Henr. Dodwell de primorum Martyrum insigni fortitudine ejusque causis. V. Dissert. Cyprian. XII.
Chr. Kortholt Paganus obtrectator s. de persecutionibus eccl. prim. sub Imp. Ethn. liber. 1698. 4.
J. J. Huldrici Gentilis obtrectator, s. de calumniis Gentilium in Judaeos et prim. Christ. 1744. 8.
Chateaubriand les Martyrs, ou le triomphe du Christianisme. 1809. 2 Vol. Deutsch von *Theodor v. Haupt* u. *v. Heitler*. 1816. 8.

§. 9.

Persecutiones Christianorum multas variasque fuisse constat, quarum tamen numerum non accurate definire possumus. Antiquissimi scriptores plures quidem recensent ac describunt, numerum tamen fixum exprimunt nullum. Alii sex, alii novem graviores enumerant persecutiones. Inde a saeculo V. autem mos apud scriptores historicos invaluit, omnes persecutiones ad numerum denarium revocare, qua quidem in re Apocalypsin potius et typologiam V. T., quam historiam, sequuti esse videntur.

Lactantii de mortibus persecutorum. Deutsch: Vom Ende der Christenverfolger, mit krit. u. erkl. Anmerkungen. 1822. 8.
H. Benkendorf's kurzgefasste Historie von den zehn Hauptverfolg. der ersten Christen. 1700. ed. 1732. 8.
E. D. A. Martini Persecutiones Christianorum sub Imp. Rom. causae earum et effectus. 1802. 4.
G. G. S. Köpke de statu et conditione Chr. sub Imp. Rom. alterius post Chr. saec. 1828. 4.

§. 10.

Ex historia N. T. patet, *Judaeos* primos Christianorum fuisse adversarios. Praeter Sacerdotes, Pharisaei et Sadducaei conjunctis viribus Dominum

nostrum Jesum Christum atrociter infestati sunt, et disertis narratur verbis, factionem Pharisaeorum in Synedrio Magno et dolo et violentia effecisse, ut Christus morti traderetur. Sed nec post ejus mortem fanatica Judaeorum saevitia adversus novae religionis asseclas cessavit, quos ut quovis modo supprimerent, omnem operam navarunt. In Actis Apostolorum variae adflictionum et infestationum species recensentur, quibus, post supplicium Stephani, Proto-Martyris, Apostoli eorumque discipuli et socii a Judaeis fuerint vexati. Extra Palaestinae quoque fines Judaeorum zelotypia exarsit contra Christianos, adeoque pro certo constat, primas vexationes, quas a Gentilibus experti sunt Christiani, calumniis Judaeorum esse adscribendas.

Matth. XXVIII, 12 seqq. Actor. VI, 6—VII, 1—59. XVII, 5 seqq. XVIII, 12 seqq. XXI, 27. Galat. V, 11. Rom. XV, 31. Joseph. Antiq. XX, 9. Euseb. hist. eccl. lib. II. c. 23.

§. 11.

Post Hierosolymorum excidium immutata quidem rerum facies, Judaeis ex oppressoribus jamjam oppressis factis. Conditio tamen Christianorum ideo non melior facta, quia a Gentilibus Secta quaedam judaica reputabantur. Ille error non solum plebem, sed etiam viros doctos et politicos magistratusque invaserat. Ipse *Cornelius Tacitus* (Annal. lib. XV. c. 44) nullus dubitavit, Christianos, ut Judaeos, *odio generis humani convictos*, eorumque religionem *superstitionem exitiabilem* pronuntiare. *Suetonius* (vit. Ner. c. 16. cf. vit.

Vespas. c. 4.) a Judaeis quidem distinxisse videtur, sed ita, ut Christianos longe pejores adhuc et perniciosiores haberet, quam Judaeos. Ex aliis porro scriptoribus compertum habemus, Gentiles Christianos non solum *Atheismi*, sed etiam *inobedientiae erga magistratus et seditionis* reos habuisse, et praeterea haud paucas, sed ridiculas et insulsas, de Christianorum doctrina et cultu effinxisse fabulas.

Crimina Christianis a Gentilibus exprobrata recensent Lucian. de morte Peregr. c. 11—16. Tertull. Apol. c. 16. 39. 40. 50. Minuc. Fel. Octav. c. 9. Athenag. Apol. c. 4.: *Ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις.*

§. 12.

Prima a Gentilibus excitata persecutio ea fuit, quam Christiani, regnante *Nerone*, ab a. 64 ad a. 68 sunt perpessi, quae tamen vexatio politica rectius, quam persecutio religionis causa, dicitur. Quamvis autem *universalem* dicere nequeamus, *Romana* tamen duntaxat, quod multis placuit, neutiquam fuit. Vulgaris opinio de martyrio et supplicio Petri et Pauli a multis quidem oppugnatur, variis tamen defendi potest argumentis.

De Claudio et Nerone v. Sueton. vit. Claudii c. 25. vit. Ner. c. 16. Taciti Annal. lib. XV. c. 44.

H. Dodwell Dissert. Cyprian. XI. §. 13.

J. E. J. Walch historia persecutionis Christianorum Neronianae in Hispania. 1753. 4.

De *supplicio Petri et Pauli* cf. Euseb. hist. eccl. lib. II. c. 25. Lactant. de mort. persec. c. 2.

§. 13.

Historia persecutionis sub *Domitiani* imperio a. 94—95 paulo obscurior est, cum nec de initio nec de fine satis constet. In eo autem antiquiores scriptores conveniunt, consilium Imperatoris de opprimendis Christianis ex timore, ne *familia Messiae* rerum potiretur et regnum Romanum everteret, esse ortum. Iste timor inde auctus videtur, quod inter ipsos Domitiani cognatos nonnulli deprehenderentur, qui religioni christianae nomen dederant. Hoc tempore Joannem, Apostolum, in exilium esse missum, perpetua antiquitatis traditio est.

Euseb. h. e. lib. III. c. 17—20. ex Hegesippo, Irenaeo (haeres. V, 5.) et Tertulliano (Apolog. c. 5.). Sulp. Sev. hist. sacr. lib. II. c. 41.

§. 14.

Imperantibus *Trajano* et *Hadriano* (a. 98—138), qui non uno nomine laudandi sunt, nulla quidem legibus ordinabatur Christianorum persecutio; nihilominus tamen eorum status dubius erat et periculosus. Nam lege delationis cuilibet licebat, singulos Christianos religionis causa accusare. Hinc in Martyrologiis hujus temporis nomina multa Christianorum supplicio vel exilio adflictorum legimus. *Antoninorum* quoque imperium, multis nominibus praeclarum, Christianorum causae minime erat faustum. Id quod gloriosum *Polycarpi*, *Justini Martyris* aliorumque insignium virorum clarissime testatur martyrium.

De *Trajano* v. Euseb. h. e. lib. III. c. 22. 23. lib. IV. c. 26. Tertull. Apol. c. 2. Plinii Epist. lib. X. ep. 96. 97. (al. 97. 98). *J. A. Heumann* de persecutione Pliniana; in Sylloge Dissert. T. I. p. 120 seqq. *Haverkaat's* (Ziegler's) Vertheidigung der Plin. Briefe über die Christen gegen Semler's Einwendungen. 1788. 8.

De *Hadriano* Justin. Mart. Apol. I. c. 69. Tertull. Apol. c. 5. Sulp. Sev. II, 45. 46.

Fata Christianorum sub *Antonino Pio* et *Marco Aurelio* s. *Antonino Philosopho* exponunt Justin. M. Apol. I. c. 69. 70. Tert. Apol. c. 5. Tatiani orat. ad gentes c. 18. 19. Euseb. h. e. lib. IV. c. 12. 13. 16—18. 23. 26. Sulp. Sev. lib. II. c. 45. Paul. Oros. hist. lib. VII. c. 15.

Edictum ad Commune Asiae, non uno nomine suspectum, sub censuram vocarunt *Hegelmaier* (Comment. in Edictum Imp. Anton. P. pro Christianis. 1767. 4.) et *Haffner* (de Edicto Anton. ad Commune Asiae. 1781. 4.). Quae de *legione fulminatrice* apud Tertullianum (Apol. c. 5. ad Scapul. c. 4.) et Eusebium (h. e. lib. V. c. 5.) traduntur, a pluribus diligenter examinata sunt: cf. *Baumgarten* examen miracul. leg. fulm. Diss. I. II. 1740. 4.

§. 15.

Sub crudeli *Commodi* imperio res Christianorum non turbatae. Sed regnante *Septimio Severo* (a. 193—211), etsi ipse Imperator initio mitiori esset in Christianos animo, deterior facta eorum conditio lege a. 203 promulgata [1]). Narrationes nonnullorum veterum scriptorum, qui *Alexandrum Severum* et *Philippum Arabem* Christianos fuisse tradunt, inter figmenta sunt referendae; hoc tamen certum, utrumque ecclesiae nullum attulisse damnum [2]). Sed perniciosissimum mox insequutum *Decii* imperium (a. 249—251), quo

inaudita hucusque crudelitate, in omnibus fere Imperii Romani provinciis, in Christianos saevitum est. Hoc tempore tristissimo multi fideles ob religionem vexati vel interfecti *Confessoris* vel *Martyris* nomen meruerunt; multi autem a religione deficientes in numerum *Lapsorum* venerunt, de quorum poenitentia et receptione acriores in ipsa ecclesia exortae sunt altercationes [3]).

1) De Septimio Severo Tertull. ad Scap. c. 4. Euseb. h. e. VI, 1. 7. Spartian. Sever. c. 16. 17. Script. hist. Aug. p. 617 seqq.

2) *Alexandri Severi* ejusque matris *Juliae Mammaeae* propensum in Christianos animum laudant Euseb. h. e. VI, 21. 28. Oros. hist. VII, 18. Lamprid. vit. Al. Sev. c. 22. 28. 29. 43. 45. 49. Traditionem de *Philippo*, primo ex Romanis Imperatoribus Christiano, apud Eusebium h. e. VI, 24. et Hieron. Chronic. ad a. 246. erroneam esse, libro singulari docuit post alios *Frid. Spanhem.* de Christianismo Phil. Ar. in Opp. T. II. p. 400 seqq.

3) Persecutionem Decianam describunt Euseb. h. e. VI, 40—42. (ex Dionysio Alex.), Cyprian. de lapsis p. 337 seqq. Epist. 31. 52. seqq. Lactant. de mort. persec. c. 4.

§. 16.

Post pacem per quinquaginta fere annos servatam et lenioribus tantum vexationibus turbatam, tandem sub *Diocletiani* imperio, ultima et omnium saevissima ecclesiam invasit persecutio. Quam acerrimus autem Diocletianus Christianorum hostis fuerit habitus, vel ex eo potest colligi, quod veteres Chronologi, usque ad Dionysium Exiguum, *Aeram Christianam*, quae etiam *Aera Diocletiana* vel *Epocha Martyrum* vocatur, quaeque

a d. 29 Augusti a. 284 incipit, ab ejus imperio deduxerint. Primi quidem hujus Imperatoris anni tranquilliores erant, sed ultimo ejus biennio a. 303—305 per totum regnum Romanum, inprimis autem in Oriente atque Hispania, persecutionis aestus incredibili fere modo exarsit. Famosus ille *Hierocles*, Proconsul Bithyniae et Alexandriae, praecipuus auctor consilii perniciosissimi habetur, quo omnis persecutio principaliter in *doctores* et *Episcopos*, in *locos sacros*, et in *libros sacros* dirigeretur. Hoc tempore numerum Lapsorum non minorem fere fuisse, quam Confessorum et Martyrum, res quidem erat pessimi exempli: attamen severior illa disciplina, quam ecclesia adversus *Traditores* exercebat, insignem erga scripturam sacram reverentiam et pietatem laudabiliter testatur.

Historiam hujus persecutionis gravissimae fusius exponunt Lactant. de mort. persec. c. 7—31. Euseb. hist. eccl. lib. VIII—IX. App. II. libri VIII. de martyribus Palaestinae c. 1—13. Quae de *Legione Thebaea* et *Passione Mauricii* traduntur, prorsus sunt incerta.

§. 17.

Diocletiano adhuc imperante Caesar *Constantius Chlorus* Christianis in Gallia non defuit, eosque in Hispania non suppressit. In ejus locum successit a. 306 filius *Constantinus M.*, qui primus omnium Christianorum causam patrocinatus etiam *Licinum*, cum quo Imperium diviserat, in favorem Christianorum permovit. Hujus favoris documentum erat edictum a. 312 promulgatum et a. 313 repetitum de tolerandis Christianis (*edi-*

ctum tolerantiae vocant), cui mox plures de immunitatibus clericorum, privilegiis ecclesiarum, et diei Dominicae celebratione leges sunt additae. Item Constantinus in causa Meletiana, Donatistica et Ariana a partibus ecclesiae catholicae stetit eamque protegere studuit. Tandem, victo Licino, a. 324 publico edicto se Christianum proclamavit regnique Romani subditos, ut suum sequerentur exemplum, invitavit. Anno 325 in primo Concilio oecumenico Niceno res ecclesiasticas moderari coepit seque *ἐπίσκοπον τῶν ἐκτὸς* declaravit.

Edictum Mediolan. Constantini M. et Licini de restituenda ecclesia legitur Lactant. de mort. persec. c. 48. et Euseb. h. e. X, 5. De reliquis Constantini in favorem relig. chr. legibus cf. Euseb. vit. Const. M. IV, 18. Cod. Theodos. XVI. tit. 2. l. 1. 4. tit. 8. l. 1. Cod. Justin. I. tit. 13. l. 1. tit. 2. l. 1. III. tit. 12. l. 3.

Epistola Const. ad suos populos invitatoria Euseb. vit. Const. M. lib. II. c. 24 seqq. *Fr. Balduini* de Constant. M. leg. eccl. et civil. libri II. ed. Hal. 1727. 8.

§. 18.

Varia sunt veterum et recentiorum scriptorum de Constantini M. persona et meritis judicia. Eusebius Caesareensis quidem et plures inter Patres nimium et plus aequo eum extollunt. Alii contra, qui Arianismo favent, ut Philostorgius, Sozomenus et Zosimus, omnem fere ipsi detrahunt laudem. Qui nullo partium studio ductus veram sequitur historiam et ad eventum potius, quam ad causas respicit, facile videt, etiam hic in medio consistere veritatem. Multa sane sunt, quae in Constantino ejusque tam privata quam publica vita

deprehenduntur et jure meritoque reprehenduntur vitia: nemo tamen negare poterit, hunc virum de religione chr. immortaliter meruisse, et a providentia divina *Statorem ecclesiae* fuisse excitatum.

J. Chr. Hess de Constantino M. ex rationibus politicis Christiano. 1713. 4.
G. Chr. Lenther de Const. M. non ex rationibus pol. Christiano. 1714. 4.
C. D. A. Martini über die Einführung der chr. Rel. als Staatsreligion im Röm. R. durch den K. Constantin. 1813. 4.
N. Chr. Kist de commutatione, quam Constantino M. auctore societas subiit chr. 1818. 8.
J. C. F. Manso's Leben Const. d. Gr. 1817. 8.

§. 19.

Quae de miraculosa propagatione religionis chr. saeculo I. et II. traduntur, ex parte suspecta, ex parte immodice aucta videntur. Utcunque autem hoc est, de eo non dubium, tempore Constantini M., vel in remotissimis Imperii Romani provinciis et inter omnes fere ordines et status, magnum Christianorum numerum extitisse. Qui autem curatius perspexerit, facile intelliget, numerum professorum Christianismi pari gradu et modo crevisse, quo usus scripturae sacrae inter Christianos communior esse coepit. Ideoque illi inter doctores ecclesiasticos, qui in interpretationem et usum litterarum sacrarum sua studia collocarunt, de promotione religionis chr. optime prae ceteris meruerunt.

J. B. Lüderwald Ausbreitung des Chr. nach ihrer wahren Beschaffenheit u. Beweiskraft. 1788. 8.

Joh. Andrae Entwickelung der natürl. Ursachen, welche die schnelle Ausbr. des Chr. in den ersten IV. Jahrh. beförderten. 1791. 8.

G. A. Osiander über die Ausbreitung d. Chr.; ein krit. Beitrag zur Kirchengesch. der III ersten Jahrh.

De usu scripturae sacrae Euseb. orat. de laudibus Constant. M. c. 16. 17. Chrysost. Homil. I. in Joh. Opp. T. II. p. 13. Hieron. Praef. in IV Evang. T. I. p. 1425. seqq.

Cap. II.

De statu ecclesiastico.

§. 20.

De forma, constitutione et regimine ecclesiae neque a Christo, neque ab Apostolis in libris N. T. aliquid praescriptum legimus. Postea ad *Traditiones Apostolicas* provocatum est, quae, licet valde suspectae et maximam partem suppositae, ab Evangelicis tamen minime sunt spernendae. Ecclesiam Hierosolymitanam, ab ipsis Apostolis conditam atque administratam, reliquarum ecclesiarum exemplar et πρωτότυπον fuisse, crederemus, si vel nullum in N. T. extaret de hac re testimonium. Ex quo autem numerus Christianorum ex Gentilibus crescere coepit, facies et conditio novae societatis vario modo immutanda erat. Jam inde a saec. II. ritus judaicos cum moribus et consuetudinibus Gentilium magis magisque coaluisse videmus.

Guil. Cave Antiquitates Apostol. et *Jerem. Teylor* Antiquitates Christ. 1684. f.

J. G. F. Papst de apostolicae ecclesiae exemplo caute adhibendo. 1790. f.

J. A. Stark de Tralatitiis ex Gentilismo in relig. chr. 1774. 4.

§. 21.

Reipublicae christianae forma, qualem saec. I. et II. deprehendimus, quodammodo *democratica* dici potest, quia apud universum populi coetum jus et potestas eligendi praepositos, doctores, et ministros erat. Coetui autem sensu strictiori non nisi *Fideles* (πιστοὶ), hoc est, illi Christiani, qui sacramentorum et Agaparum participes erant, et *fratrum, sororumque* nomen gerebant, adnumerabantur. Sensu latiori autem etiam *Catechumeni* (κατηχούμενοι), quorum maxima pars tunc temporis non infantes, sed adulti erant, ecclesiae adscripti sunt.

De classibus Christianorum v. Denkwürdigkeiten aus der chr. Archäologie. Th. XI. p. 35 seqq.

§. 22.

De discrimine inter *Praesules* et *Seniores* eorumque officio, utrum solummodo res externas curaverint, an simul docendi munus exercuerint, ambigitur. Sed hoc certum, voces πρεσβύτεροι et ἐπίσκοποι primis temporibus saepius synonymas fuisse. Adauctis deinceps atque amplificatis ecclesiis, ut omnia rite et ordinate fierent, visum est, praesulibus et senioribus virum prudentem et probatum praeficere, qui titulum ἐπίσκοπος gereret, et a quo suprema ecclesiae administratio et gubernatio penderet. Hoc jam saeculo II. ita institutum

fuisse, ex illis *Ignatii* epistolis, de quarum authentia constat, probari potest.

De Episcoporum antiquissimorum ortu, officio, dignitate ac potestate multi libri in utramque partem scripti disputarunt, inter quos *Morini*, *Blondelli*, *Salmasii*, *Hammondii*, *Usserii*, *Ziegleri*, *Buddei*, *Danovii*, *Gableri* aliorumque dissertationes primum occupant locum.

§. 23.

Episcoporum tamen auctoritas et potestas hoc aevo nondum ad illud fastigium emerserat, quo ab illo tempore, ubi religio chr. publicam nacta erat auctoritatem, celerrimo progressu elatam conspicimus. Reditus admodum modicos ex *Oblationibus* et *Collectis fidelium* habebant. Etiam *Decimarum* et *Primitiarum*, ex consuetudine Judaeorum, jam ante Constantinum M. inveniuntur exempla nonnulla. Prima quoque hoc tempore *Provinciarum ecclesiasticarum*, quae *Παροικίαι* s. *Διοικήσεις* vocantur, nec non *Chorepiscoporum* et *Metropolitanorum*, ex quibus deinceps Patriarchae prodierunt, occurrunt vestigia.

Jer. a Costa des revenûs ecclesiastiques.

W. C. L. Ziegler über die Einkünfte des Clerus in den ersten drei Jahrhunderten. Cf. *Henke* N. Magazin f. Relig. Exeg. u. Kirchengesch. IV. B. I. St. p. 1 seqq.

J. B. Guadagnini de antiqua paroeciarum origine T. I. II. 1782. 8.

Mar. Lupi de parochiis. 1788. 4.

G. J. Planck de primis gubernationis Dioecesanae initiis. 1792. 4.

§. 24.

Loquitur N. T. (1 Timoth. III, 8. 12. Rom. XVI, 1) de utriusque sexus *διακόνοις*, quos scriptores ecclesiastici *διακόνους* et *διακονίσσας* distinxerunt. Quod ad Diaconissas attinet, quae etiam *χῆραι* (viduae), rarius *παρθένοι* (virgines) vocantur, earum munus, cum, praeter curam pauperum atque aegrotorum, maxime praeparationem mulierum ad baptismum postularet, post paedobaptismi consuetudinem, paulatim, in Occidente citius, quam in Oriente, abrogari coepit. Sed munus *διακόνων*, qui etiam *νεώτεροι* vel *ὑπηρέται* in N. T. dicuntur, semper mansit in ecclesia, et progressu temporis, una cum Episcopatu, potiorem assequutum est honorem et dignitatem, cum Diaconis digniora docendi atque administrandi officia committerentur, vilioribus negotiis ministris inferiorum ordinum reservatis.

Casp. Ziegler de Diaconis et Diaconissis vet. ecclesiae. 1678. 4.
Denkwürdigkeiten aus der chr. Archäol. Th. XI. p. 189—222.

§. 25.

Nonnulli ex Actis Apostolorum loci clarissime *communionem bonorum* apud primos Christianos testantur, sed non eam, quae *communio possessionis*, sed eam, quae *communio usus* a Jurisconsultis dicitur. Quod si aliter se haberet, hic mos tamen solummodo consuetudo ecclesiae Hierosolymitanae, non ideo autem institutum et lex totius ecclesiae esset dicendus. Postea vero, Mo-

nachismo magis magisque vigente, etiam communio possessionis obtinuit.

J. L. Mosheim de vera natura communionis bonorum in eccles. Hierosol. V. Dissertat. ad historiam eccl. pertin. T. I. p. 1 seqq.

§. 26.

Disciplinam morum in ecclesia primitiva admodum fuisse rigorosam, omnes antiqui testantur scriptores. Ipse ex Hebraismo derivatus titulus οἱ ἅγιοι, quo se Christiani ornabant, ad vitae integritatem morumque probitatem hortabatur. Mos sceleratos et profligatae vitae homines *excommunicandi* judaicae est originis et in omnibus fere Judaeorum *Cherem* (ἀνάθεμα) respondet. Tempore persecutionis Lapsi creberrimam excommunicandi occasionem dederunt. Montanistae, Novatiani, Meletiani et Donatistae, in hac causa prae ceteris rigorosi, non vituperandi quidem propter insigne, quo tenebantur, pietatis studium: attamen magis laudandi Catholici ob mitiorem animum et aequiorem et religionis chr. genio et ecclesiae consilio magis consentaneam rationem, qua *Poenitentes* tractare solebant.

Chr. F. Quell de excommunicationis origine in antiqua ecclesia. 1759. 4.
Ad. Rechenberg Dissert. II. de disciplina eccles. 1670. 4.
Theod. Crüger Observat. ad illustrandam historiam Censurae eccl. 1719. 4.
J. Chr. Ernesti de antiquo excommunicationis ritu. 4.
J. H. Krause de Lapsis primitivae eccl. 1706. 4.
Chr. Preyer Exercit. de magno vet. ecclesiae circa Poenitentes rigore. 1725. 4.
H. Bode de abusu Poenitentiae eccl.

§. 27.

Ut regna, ita et Ecclesia suam propriam habet Geographiam et Topographiam, quae haud raro a divisione politica et administratione imperii differt. Ex coalitione et consociatione utriusque Christianorum familiae orta est *ecclesia catholica* (§. 5. et 6.), cujus tamen vinculo non ita constrictae sunt ecclesiae particulares, ut omnem originalem suam constitutionem et proprietatem amitterent. Ecclesia igitur Palaestinensis, Syriaca, Aegyptiaca, Africana, Romana, Gallicana etc. licet pars et membrum ecclesiae catholicae esset, nihilominus tamen suum statum et suas conservavit consuetudines ab aliis vario modo diversas. Ex usu loquendi antiquissimo ecclesia catholica in *Orientalem* et *Occidentalem*, sive *Graecam* et *Latinam* dividitur, quod postea, ut multis VV. DD. videtur, ad Imperium Rom. fuit translatum.

Car. a S. Paulo Geographia sacra s. notitia antiq. Episcopatuum ecclesiae universae. Edit. Jo. Clerici. 1707. f.

Fr. Orlandi Orbis sacer et profanus etc. T. I—III. 1728—1732. f.

Fr. Spanhemii Geographia sacra et eccl. 1701. f.

Ph. Slevogtii Dissertationes de divisione ecclesiarum. 1680. 4.

G. Th. Meier Politia ecclesiae primitivae ad civilem formata. 1676. 4.

Le Quien Oriens christianus. T. I—III. 1740. f.

Cap. III.

De Patribus et scriptoribus ecclesiasticis.

§. 28.

Nomine *Patrum Apostolicorum* sensu latiori omnes antiquissimae ecclesiae doctores, qui discipuli vel comites Apostolorum fuerunt, comprehenduntur. Sensu strictiori autem illi doctores saec. primi et secundi, quorum scripta ad nostra venerunt tempora [1]). In horum numero prae ceteris sunt *Barnabas*, *Hermas*, *Clemens Romanus*, *Ignatius* et *Polycarpus*. Inter hos Clemens Romanus atque Ignatius plurima scripserunt, quae historiam et statum ecclesiae bene illustrant. Sed non omnia ac singula, quae ipsis tribuuntur, scripta, legibus criticis recte adhibitis, inter genuina sunt referenda [2]).

1) SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, ôpera. Ed. *J. B. Cotelerii.* 1672. f. Ed. *Jo. Clerici.* Ed. 2. T. I. II. Amstel. 1724. f.

Rich. Rusel SS. Patrum Apostol. opera genuina. Lond. T. I. II. 1746. 8.

2) Dubia critica de authentia et fide *Epistolarum Ignatii*, quarum duplex extat editio s. recensus, deque *Clementis Romani* Canonibus, Constitutionibus Apost. et Clementinis. Judicia *Pearsonii*, *Dallaei*, *Semleri*, *Schmidtii* al.

Otto Krabbe über den Ursprung der so genannten Apost. Constit. 1829. 8.

J. S. v. Drey neue Unters. über die Constitutionen u. Canones der Apostel. 1832. 8.

Ed. Regenbrecht de canonibus Apostolorum. 1828. 8.

§. 29.

Aevo Patrum Apostolicorum adscribenda quoque sunt multa scripta *Apocrypha*, quibus historia sacra V. et N. T. tractatur. Destituta quidem sunt auctoritate historica, cum de eorum authentia non constet, non ideo tamen omni pretio et usu, inprimisque usus loquendi N. T. singularis et antiquissimorum ecclesiae scriptorum optime ex illis illustrari poterit. Liber *Henoch* et *Vaticinia Sibyllina* vel ea de causa aestimanda, quod ab antiquissimis Patribus tanquam scripta genuina citantur et in testimonium adhibentur.

J. A. Fabricii Codex pseudepigr. V. T. T. I. II. 1713—1723. 8.
— — — Codex apocryphus N. T. T. I—III. 1719. 8.
J. C. Thilo Codex apocryphus N. T. e libris editis et manuscriptis coll. notisque et Prolegomenis illustratus. T. I. 1832. 8.
C. C. L. Schmidt Corpus omnium vet. apocryphorum extra biblia. P. I. 1804. 8.
A. G. Hoffmann die Apokalyptiker der ältern Zeit unter Juden u. Christen. Th. I. das Buch Henoch. 1. Abtheil. 1833. 8.
Birger Thorlacius libri Sibyllistarum vet. eccl. crisi subjecti. 1815. 8.
F. Bleek über die Entstehung u. Zusammensetzung der Sib. Or. Cf. Theol. Zeitschrift. Berlin 1819. H. I. u. II.

§. 30.

Qui Patres Apostolicos excipiunt scriptores ecclesiastici *κατ' ἐξοχὴν Patres* nominantur, quia et ore et opere doctrinam christianam tradiderunt, accuratius eam explicantes et contra errores atque

adulterationes defendentes. Ex scriptis eorum, tanquam probatissimis fontibus, cognoscimus et historiam dogmatum chr., et docendi methodum, et ritus ecclesiasticos et omnia ea, quae ad statum reipublicae christianae rectius cognoscendum et dijudicandum faciunt. Quod ad auctoritatem atque usum Patrum attinet, Protestantes quidem et Catholici non eadem sequuntur principia: hoc tamen intelligentiores inter Protestantes semper sunt professi, absque usu Patrum non dari veram Theologiae cognitionem solidumque historiae studium.

J. G. Calixti de autoritate antiquitatis ecclesiasticae. 1639. 4.
Jo. Dallaei de usu Patrum ad definienda rel. capita controversa. Ed. 1686. 4.

§. 31.

Quod Patres *Graeci* et *Latini* distinguuntur, eadem fit ratione, qua Ecclesiam Graecam et Latinam dicimus. Meliores, quos Orientalis ecclesia protulit, scriptores, *Hellenistae* fuerunt, praeter Ecclesiam *Syriacam*, quae in patriae lingua plures minimeque contemnendos numerat auctores. Hoc aevo Graeci praestantiores sunt Latinis, licet et his non desint nonnulla opera praestantiora.

Differentia oritur ex diversitate linguarum, argumenti et tractandi methodi. In *Theologia str. s. d.* Graeci, in *Anthropologia* Latini sunt praestantiores.

§. 32.

Omnes fere hujus aevi Patres pro defendenda religione christiana contra Judaismum et Pagani-

smum scripserunt. Plures nominantur Apologetae, quorum scripta perierunt. Inter eos, quos adhuc possidemus, in Ecclesia Graeca *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, *Tatianus*, *Theophilus Antiochenus* et *Hermias* prae ceteris famam haud vulgarem sunt assequuti. Inter Latinos *Tertullianus*, *Minucius Felix*, et *Arnobius* maxime sunt laudandi. Omnes tamen in oppugnando errore praestantiores esse videmus, quam in defendenda veritate.

Prud. Marani Opera apologetica: Justini M., Tatiani, Athenagorae, Theophili Ant. Hermiae etc. 1742. f.

§. 33.

Interpretationi scripturae sacrae plures quidem antiqui scriptores operam dederunt; sed primi interpretes, hujus nominis digni, e schola Alexandrina prodierunt. *Clemens Alexandrinus* suam Theologiam Gnosticam, quam veram et genuinam laudabat, e scriptura sacra derivavit et probavit. Ejus autem discipulus *Origenes* omnium primus de comparatione et emendatione critica veterum versionum bene meruit, et omnes V. et N. T. libros integris commentariis exegeticis illustravit. In eo tamen nimia libertas et licentia, qua in allegorica utitur interpretatione, merito vituperatur. Ecclesia vero Latina hoc tempore nullum habet S. S. interpretem.

H. E. F. Guerike de Schola, quae Alexandriae floruit. Comment. hist. et theol. P. I. II. 1824—1825. 8.

Clementis Alex. Opera. Ed. *J. Potter*. T. I. II. 1715. f.

Origenis Opp. Ed. *Car. et Vinc. de la Rue*. T. I—IV. 1733—1759. f.

§. 34.

Inter Patres Graecos *Irenaeus* primus adversus Haereticos (inprimis Gnosticos) scripsit. *Clemens Alexandrinus* in Stromatibus falsam Gnosin oppugnavit, veram Christianismi Gnosin defendens. *Origenes* opere singulari Celsum Philosophum refutavit, et in opere, quod *περὶ ἀρχῶν* inscripsit, non integrum quidem systema dogmaticum, quale nos habemus, delineavit, omnem tamen doctrinae chr. ambitum exponere voluit. Inter Latinos *Tertulliani* ejusque imitatoris *Cypriani* varios habemus tractatus dogmaticos et polemicos, qui eloquentia magis, quam subtilitate philosophica atque exegetica, placent. *Lactantius*, ob styli elegantiam cum Cicerone comparatus, in Institutionibus divinis veritatem religionis chr. apologetice magis, quam dogmatice, demonstravit. *Theologiam moralem*, s. *τὸ ἐθικὸν μέρος*, cum Theologia dogmatica apud veteres semper conjunctam, idem Clemens Al. in Paedagogo minime neglexit.

Irenaei Opp. Ed. *Ren. Massuet.* 1710. f. Ed. Ven. 1734. 2 Vol. f.

Tertulliani Opp. Ed. *Nic. Rigaltius* (Rigaud). 1641. Ed. *J. S. Semler.* T. I—VI. 1770—1773. 8.

Noesselt de vera aetate scriptor. Tertulliani. Ed. 1768. 4. Cf. Opuscula ad hist. eccl. Fasc. III. 1817. 8.

A. Neander's Antignosticus: Geist des Tertull. u. Einl. in dessen Schriften. 1825. 8.

Cypriani Opp. Ed. *J. Fell.* 1682. f. Ed. *Prud. Maran.* 1726. Ed. Ven. 1728. f.

Henr. Dodwell Dissertationes Cyprianicae. 1684. 8.

Lactantii Opp. Ed. *Bünemann.* 1739. 8. Ed. *J. G. Walch.* 1735. 8. Ed. *le Brun.* 1748. T. I. II. 4.

§. 35.

Quae ad *historiam ecclesiasticam* spectarent a pluribus quidem collectae sunt symbolae; sed de conscribenda historia integra et continua nemo cogitavit. Historiae a *Papia* et *Hegesippo* compositae, praeter pauca ab *Eusebio* servata fragmenta, perierunt. Is igitur solus ac verus *historiae ecclesiasticae pater* habendus. In Ecclesia Latina ejusmodi historiam nemo vel tractasse vel desiderasse videtur.

De *Papia*, Hieropolitano, cf. *Fr. Schleiermacher* über das Zeugniss des Papias von unsern beiden ersten Evangelien, in *Ullmann* et *Umbreit* theol. Studien u. Krit. Jahrg. 1832. St. IV. p. 735 seqq.

Hegesippi fragmenta operis: ὑπομνήματα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πράξεων collecta et commentario illustrata sunt in *Joh. Routh* reliquiae sacrae, s. auctorum fere jam deperditorum secundi tertiique saeculi fragmenta, quae supersunt. Vol. I. 1814. p. 187 seqq.

Eusebii hist. eccl. libri X. et de vita Constant. M. lib. IV. Ed. *H. Valesius*. 1659. f. Ed. 1677. (1695.) f. Ed. *F. A. Stroth*. 1779. 8. (imperfecta.) Ed. *E. Zimmermann*. 1822. 8. Ed. *Fr. A. Heinichen*. T. I—III. 1827—1828. 8.

De fontibus, auctoritate et fide Eusebii libros singulares ediderunt *J. Moeller*, *J. Tr. L. Danz*, *Chr. A. Kestner*, *H. Reuterdahl*, *Bernh. Rienstra* aliique.

Cap. IV.

De Haeresibus.

§. 36.

Scripta Patrum summam doctrinae christianae continent, quae religionis chr. fundamentum habetur et principium. Nonnulli scriptores hanc doctrinae summam sub titulo *Regula fidei* vel *Praedicatio ecclesiastica* expressis exhibent verbis, alii supponunt, et contra doctrinae christianae depravatores defendunt [1]). Inde a saec. III. in usu fuit Symbolum illud, quod vario sensu *Symbolum Apostolicum* dictum et tanquam regula generalis receptum est [2]). Qui doctrinam in eo propositam profitebatur, ὀρθόδοξος, qui respuebat, ἑτερόδοξος dictus est. Illi autem, qui, praeter dissensum in doctrina, vel sponte, vel invite ex communione ecclesiastica excederent, nomen vel *Schismaticorum*, vel *Haereticorum* tulerunt.

1) *P. C. Dürr* de antiquissima fidei et morum regula. 1781. 4.
F. Delbrück's Phil. Melanchthon der Glaubenslehrer. 1826. 8.
Lücke, *Nitzsch* u. *Sack:* über das Ansehen der h. Schrift u. ihr Verhältniss zur Glaubensregel. 1827. 8.

2) *P. King* historia Symboli apost. 1750. 8.
J. R. Kiesling hist. de usu symbolorum in sacris publicis. 1753. 8.

§. 37.

Notio *Haeretici* integra ex N. T. non potest hauriri. Vox αἵρεσις et αἱρετικὸς legitur, sed eo sensu,

quo reprehensionem morum potius, quam doctrinae depravationem significare videtur, quamvis utrumque intelligi possit. Nullo autem modo homines ab Apostolis reprehensi Haeretici, sensu ecclesiastico, sunt pronuntiandi. Sed ipsae haereticae opiniones atque actiones *Simonis Magi*, *Dosithei*, *Menandri*, *Cerinthi* et *Nicolaitarum*, aliaeque aevi apostolici abnormitates, propter mancas de ipsis traditiones, non accurate definiri et dijudicari possunt.

Th. Ittig de Haeresiarchis aevi apostolici. Ed. 2. 1703. 4.

Libros singulares, inprimis de Cerintho et Nicolaitis, scripserunt *Chr. A. Heumann*, *H. E. G. Paulus* aliique.

§. 38.

Dum antiqui scriptores *Gnosticos* primos dicunt haereticos, hoc nomine ideo usi sunt, quod illos haereticos, quos supra (§. 37) nominavimus, vel Gnosticos, vel Gnosticorum praecursores habebant. Neque temere hoc factum; nam hi omnes *Docetismi*, veram Christi carnem negantis, fuerunt fautores. Secta autem Docetarum s. Phantasiastarum, quam nonnulli finxerunt, nuspiam extitit.

C. Chr. Tittmann de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis. 1773. 8.

H. A. Niemeyer Commentat. hist. theol. de Docetis. 1823. 4.

§. 39.

Nazaraei (s. Nazareni) et *Ebionitae* autem ab aliis primo loco inter haereticos ponuntur,

quippe qui jam inde a tempore Apostolorum extiterint. Diversae dicuntur Sectae, quamvis de utriusque familiae discrimine non satis constet. In eo certe conveniunt, quod in omnibus fere Gnosticis oppositi, legis Mosaicae acriores observatores, in recipiendo N. T. canone et in doctrina de Jesu Christi persona ab ecclesia catholica, quae Christianos ex Judaeis et Gentilibus communi conjunxerat vinculo, discedebant, et hanc ob causam a communione ecclesiastica exclusi erant.

C. A. Doederlein de Ebionaeis e numero hostium divinitatis Christi eximendis. 1769. 8.
J. C. L. Gieseler über die Nazaräer u. Ebioniten. V. *Stäudlin's* u. *Tzschirner's* Archiv für alte u. neue Kirchengesch. IV. B. 2. St.
L. Lange die Ebioniten u. Nicolaiten der apostol. Zeit. 1828. 8.

§. 40.

Gnostici sensu strictiori dicuntur variae haereticorum familiae, quae maxime tempore Hadriani (a. 117—138) ortae, mox longe lateque diffusae sunt. Praecipua eorum patria Syria atque Aegyptus fuerunt; quamvis etiam in Occidente, adeoque in ecclesia Romana haud paucos haberent asseclas. Diversarum sectarum Gnosticarum auctores atque antistites insigniores sunt: *Saturninus*, *Basilides*, *Carpocrates* et *Valentinus*. Cum *Tatianus*, *Marcion*, *Cerdon* et *Hermogenes* non in omnibus sententiis atque institutis cum reliquis Gnosticis consentirent, placuit illos *Semi-Gnosticos* vocare. Alii praeferunt, alias Gnosticorum classes et familias, vel ordine historico, vel reali, enumerare. Omnes fere Patres scriptis suis Gno-

sticos oppugnarunt et adversus eorum theoremata monstrosa doctrinam rectam et simplicem S. S. de unitate Dei, de creatione et providentia, deque Christologia et canone scripturae sacrae, vindicarunt.

Is. de Beausobre histoire critique de Manichée et du Manicheisme. T. II. 1739. 4. Dissert. sur les Adamites.
C. W. F. Walch de Philosophia orientali Gnostic. system. fonte. V. *Michaelis* Comment. Syntagm. P. II. p. 279 seqq.
(*F. Münter's*) kirchl. Alterthümer der Gnostiker. 1790. 8.
A. Neander's genetische Entwickelung der vornehmsten Gnost. Systeme. 1818. 8.
E. A. Lewald Comment. de doctrina Gnost. 1818. 8.
Fr. Lücke's Kritik der bisher. Untersuchungen über die Gnostiker. V. Theol. Zeitschr. Berlin 1819. 8. I. B. II. St. p. 132 seqq.
J. Matter histoire critique du Gnosticisme et de son influence etc. 1828. 8.
J. J. Schmidt über die Verwandtschaft der gnostisch-theosophischen Lehren mit den Rel. Systemen des Orients, vorzüglich des Budhaismus. 1827. 4.
J. A. Möhler's Vers. über den Ursprung des Gnosticismus. 1831. 4.

§. 41.

Quod *Montanistae* in numerum haereticorum referuntur, non fit exemplo ecclesiae antiquae, quae quidem sententiam Montani de Paracleto tanquam erroneam repudiavit, et nimis severam ejus disciplinam morum, libertatem christianam tollentem, non admisit; nunquam tamen hanc Sectam damnavit, quae vera fide et pietate conspicua esset et phantasticis opinionibus Gnosticorum, et falsis Alogorum sententiis, mascule sese opponeret. Hinc

factum est, ut *Tertullianus*, etsi Montanistarum partes sequebatur, nomen patris orthodoxi nunquam amitteret, utque ipsi adeo *Cataphryges*, omnem conjunctionem cum Catholicis, quos Psychicos dixerunt, respuentes, magna cum patientia tolerarentur.

Th. Wernsdorf Comment. de Montanistis saec. II. vulgo creditis haereticis. 1751. 4.
A. Neander's Antignosticus. 1825. 8.
C. M. Kirchner de Montanistis. Specim. I. 1832. 8.

§. 42.

Quod ad sententias *Praxeae* (cujus asseclae *Patripassiani* dicti), *Artemonis* et *Noëti* (a quibus *Alogi* nomen tulisse feruntur), *Berylli Bostrensis*, nec non *Sabellii* (cujus nomen inter istos homines maxime inclaruit) attinet, nullam certam atque accuratam de illis habemus notionem. Hoc pro certo constat, eos omnes in doctrina de Trinitate errasse, quorum tamen errores, etsi nunquam probati, hoc tamen aevo non publico ecclesiae judicio damnati fuerint. Trinitas idealis Sabellianorum non nisi post Concilium Antiochenum et Nicaenum innotuit et ab ecclesia catholica damnata est.

Hi omnes a recentioribus sub communi titulo *Monarchianorum*, vel *Unitariorum* comprehendi solent, eorumque ὀρθοδοξίαν nuper probare voluit *Lobeg. Lange* in libro: Geschichte u. Lehrbegriff der Unitarier vor der Nic. Synode; kritisch u. pragmatisch nach den Quellen bearbeitet. 1831. 8.

Causam Sabellianismi patrocinati sunt *Ant. Oembs:* Opuscula de Deo uno et trino ad genuinam doctrinam de S. S. Trinitate restituendam contra numeri-

cae identitatis sententiam etc. Mogunt. 1789. f. et *Fr. Schleiermacher:* Ueber den Gegensatz zwischen der Sabellianischen u. der Athanas. Vorstellung von der Trinität. V. Theol. Zeitschr. Berlin 1822. H. III. p. 295 seqq.

§. 43.

Severius tamen de doctrina, quam *Paulus Samosatenus*, Antiochiae episcopus, de λόγῳ exornavit, actum est. Is enim primum a. 264 haereseos accusatus, et deinde in Concilio Antiocheno a. 269 convictus, a munere episcopali discedere jussus est. A quo autem, cum decreto minime obtemperaret, non nisi post triennium, jubente Aureliano Imp., pulsus est: id, quod primum poenae civilis ob controversas sententias inflictae est exemplum. In hac vero causa non solum theologicas, sed simul rationes politicas et personales praevaluisse videmus.

J. G. Feuerlin de haeresi Pauli Samosat. 1741. 4.
J. G. Ehrlich de erroribus Pauli Samos. 1745. 4.

§. 44.

Eodem fere tempore nova in Persia orta est haeresis, subito longe lateque divulgata nullisque, quas experta est, vexationibus et persecutionibus opprimenda. *Manichaeismus*, qui a Persa *Mane* s. *Manete*, cujus historia obscuritate laborat, nomen traxit, ab origine cum Gnosticismo ex uno fonte manans, mox tamen ab illo ita divergere coepit, ut omnem christianae religionis indolem et naturam mutare, doctrinamque morum prorsus

evertere videretur. Pessimos hujus perversitatis fructus aevum proximum tulit.

Is. de Beausobre hist. crit. de Manichée et du Manicheisme. T. I. II. 1734—1739. 4.
K. A. v. Reichlin-Meldegg die Theologie des Magiers Manes u. ihr Ursprung. 1825. 8.
A. F. V. de Wegnern Manichaeorum indulgentias descrips. 1827. 8.
F. Chr. Baur das Manichäische Rel. System nach den Quellen untersucht u. entwickelt. 1831. 8.
Trechsel über Kanon, Kritik u. Exegese der Manichäer. 1832. 8.

§. 45.

Dum ecclesia orientalis eam partem doctrinae chr., quam speculativam vocant, data opera excoluit, occidentalis ecclesia practicam potius adamavit partem. Id jam e favore intelligitur, quo Montani praecepta et instituta ab ea sunt recepta; multo magis autem ex controversiis de ecclesia, administratione sacramentorum et disciplina ecclesiastica subortis. Tres autem hujus generis potissimum sunt controversiae: *Novatiana*, *Meletiana* et *Donatistica*, in ecclesia Africana ortae, et hanc fere solam occupantes. Commune earum argumentum a *Lapsis* et *Traditoribus* a communione ecclesiastica excludendis, iisdemque, si Clerici essent, facultate ac potestate sacra administrandi privandis, cum esset desumtum, omnis haec causa, cessantibus persecutionibus, pondus suum fere amisit. Solum Donatistarum schisma diutius duravit et saec. IV et V novis exarsit furoribus.

De schismate *Felicissimi* et *Novatiani* (s. Novati) vid. Cypriani Ep. 38—52. Euseb. h. e. VI. c. 43. 45.

VII. c. 8. Sozom. h. e. II, 8. Socr. h. e. I, 10. 13. IV, 28. Epiphan. haer. LIX.

Schisma Meletianum duplex deprehenditur. Primum a *Meletio Ep. Lycopolitano* a. 306 excitatum in ecclesia Alexandrina jam a. 325 maximam partem compositum. Theodoret. h. e. I, 9. Sozom. h. e. I, 6. Epiphan. haer. LXVIII. Secundum *Meletium Ep. Antiochenum* circa a. 360 auctorem habet et cum causa Arianorum, a quibus Mel. defecerat, cohaeret. Socrat. h. e. II, 41. Philostorg. h. e. V, 1.

De rebus *Donatistarum* agunt Augustinus (Opp. T. IX. ed. Bened. add. Excerpta et scripta vet. ad Donatistarum historiam pertin.) et Optatus Milevitanus (de schismate Donatistarum libri VII. Ed. *du Pin.* Antv. 1702. f. Ed. Oberth. T. I. II. 1789—1791. 8.). *H. Norisii* Hist. Donat. Edit. *P. et Hier. Ballerini.* T. I—IV. 1729—1732. f.

§. 46.

Qui controversias hoc tempore inter Christianos exortas agitatasque attentius et accuratius perspexerit, haec de earum natura atque indole observabit: 1) Pleraeque hujus temporis controversiae ex sincero nobilique veritatis amore exortae, veram religiositatem, ab omni animi levitate atque indifferentismo liberam, testantur. 2) Ipsae controversiae, sua crebritate et varietate, ad excolendam doctrinam christianam et promovendum litterarum commodum multum contulerunt. 3) Quod tot sententiarum et theorematum diversitates et ἐναντιώσεις propullularunt, aliter fieri non potuit, cum in ecclesia nulla adhuc *regula fidei* et *certa norma docendi* esset proposita. Hinc libertas docendi latius patebat, quam saeculis sequioribus, ubi regulis fidei et symbolis publicis arctioribus circumscripta erat limitibus.

H. C. Gehe de providentia Dei in errorum haeresiumque noxis ad utilitatem rel. chr. convertendis conspicua. 1776. V. Sylloge Commentat. philol. et theol. argum. p. 83 seqq.

F. A. Hecht Commentat. de commodis, quae e controversiis de religione ejusque impugnatione nasci possunt. 1789. 4.

PERIODUS SECUNDA.

A Constantino M. usque ad Gregorium M. (s. Muhammedem), a. 325—604.

Eusebii Pamphili, Socratis Scholastici, Herm. Sozomeni, Theodoreti et *Evagrii*, item *Philostorgii* et *Theodori Lectoris*, quae extant, gr. et lat. *H. Valesius* emendavit, latine vertit, et annotat. illustravit: criticis plurium eruditorum observat. locupletavit *Guil. Reading*. T. I—III. Cantabr. 1720. f.

F. A. Holzhausen de fontibus, quibus Socrates, Sozomenus ac Theodoretus in scribenda historia sacra usi sunt, adjuncta eorum epicrisi. 1825. 4.

Chronicon Paschale. Edit. *du Cange*. 1688. f.

Severi Sulpicii historia sacra. Ed. *Jo. Clerici*. 1709. 8.

Rufini hist. eccl. Ed. *Th. Casciari*. 1740. 4.

Cassiodori et *Epiphanii Scholastici* historia tripartita, libb. XII. Ed. *Beat. Rhenani*. 1523. 4.

Ed. Gibbon History of the decline and the fall of the Roman Empire. 1776—1788. T. I—VI. 4.

J. Chr. Fr. Wundemann Geschichte der chr. Glaubenslehre von Athanasius bis Gregor. d. Gr. 1798. Th. I. II. 8.

Cap. I.

De propagatione et incrementis religionis et ecclesiae christianae.

§. 47.

Imperante Constantino M. res Christianorum, non minus externae, quam internae, omni cura sunt dispositae atque ordinatae. Sacrificia Gentilium lasciva interdicta, jussu Imperatoris, et templa plurima suis simulacris atque ornamentis spoliata [1]). De cultu sacro Christianorum bene meruit, locos sacros instaurando et aedificia coetibus ecclesiasticis destinata exstruendo et exornando: in quo negotio matrem suam Helenam strenuam habuit adjutricem [2]). Quod sedem imperii a. 330 a Roma in urbem *Byzantium*, quae deinceps *Constantinopolis* dicta, transtulit, rationibus potius politicis, quam religiosis, factum, quamvis status ecclesiae vario inde mutaretur modo. Paucos dies ante mortem (a. 337.) Imperator ab Eusebio Nicomediense baptizatus est [3]).

1) Euseb. de vit. Const. M. III, 54. 55. 58. IV, 25. 37. 38. Lex generalis, de qua VV. DD. adhuc disputant, non extat, sed extitisse videtur.

2) *Jo. Ciampini* de sacris aedificiis a Const. M. exstructis. 1693. f.
E. F. Wernsdorf hist. templi Constantiniani — — et de templi solemni dedicatione. P. I. II. 1770. 4.

3) *M. Führmann* historia sacra de baptismo Constantini M. P. I. II. 1742—1746. 4.

§. 48.

Tres filii Constantini M. Imperium Romanum inter se dividentes ad exemplar patris cultum gentilem omni studio suppresserunt. Mortuo Constantino jun. (a. **340**) *Constans* et *Constantius* aequali quidem ardore adversus paganismum animati, in eo tamen in diversas abierunt partes, quod hic fidem Nicaenam, ille vero Arianismum amplectebatur atque defendebat. Inde factum, ut, cum Monarchia ad Constantium solum pervenisset (a. **350—361**), Arianismus aliquatenus praevaleret, ita tamen, ut nonnulla Constantii decreta etiam communem et catholicam ecclesiam adjuvarent.

S. Th. Rüdiger de statu et conditione Paganorum sub Imperatoribus post Constantinum M. 1825. 8.

§. 49.

Sed parum abfuit, quin sub *Juliani* imperio religio et ecclesia christiana omnibus, quibus gaudebant, privarentur commodis. Is enim, etsi in ecclesia natus, educatus ejusque ministerio addictus, anno tamen **361**, cum summa regni potestas ad ipsum devenisset, publice a religione Galilaeorum, ut christianismum appellare amabat, sese abdicavit, et de polytheismo, quem *Ἑλληνισμὸν* dixit, restituendo cogitavit. Ejus apostasia, num ex causis politicis, an ex animi persuasione sit orta, in dubio relinquitur. Utcunque autem est, Juliani decreta atque instituta reipublicae christianae perniciosa fuerunt et sine dubio gravius exitium attulissent, nisi post biennium inopinatus iste ad-

versarius interisset. Laudanda insignis animi constantia et fortitudo, qua praeclarissimi Christianorum doctores Apostatae sese opposuerunt; sed graviter taxandi sunt illi, qui famae a nonnullis scriptoribus profanis de morte Imperatoris in contumeliam Christianorum sparsae, etiam nostris diebus, nimis levem aurem et fidem praebent.

G. F. Wiggers de Juliano Apostata religionis chr. et Christianorum persecutore. 1810. 4.
A. Neander über den Kaiser Julianus u. sein Zeitalter. 1812. 8.
H. Ph. C. Henke de Theologia Juliani. 1777. 4. id. V Opusc. acad. 1802. p. 353 seqq.
J. A. Heumann confutatio fabulae de Juliani Imp. voce extrema.

§. 50.

Imperium *Joviani* paucos tantum, sed Christianis salutares, complectitur menses. Sub *Valentiniano I.*, *Valente*, *Gratiano* et *Valentiniano II.* pristinus rerum status, paucis exceptis, fuit conservatus. Gratianus titulum et honores *Pontificis Maximi* detrectavit, aramque Victoriae e curia Romana tollere jussit. Sub *Theodosii Magni* autem auspiciis Christianismus plenissimam et perfectissimam de Gentilismo reportavit victoriam. Theodosius enim, cum adhuc Caesar esset, a. 381 Concilii oecumenici II. s. Constantinopolitani I., ad componendas varias ecclesiasticas causas, auctor fuit suasorque. Idem, mortuis duobus imperii collegis, a. 392 et 394. legibus imperialibus omnem cultum Deorum gentilium in templis, sacrificiis et oblationibus, tanquam crimen laesae majestatis,

Symmacho et *Libanio* frustra patrocinantibus, interdixit. Neque minus praesentia sua effecit, ut Senatus Romanus publice religioni christianae daret nomen. Ab illo inde tempore gentiles *Pagani* nominari coeperunt.

J. G. Hoffmann ruina superstitionis paganae variis observationibus ex historia saec. IV. et V. illustrata. 1738. 4.

A. W. Teller's Valentinian der Erste. 1791. 8.

P. E. Müller Comment. hist. de genio, moribus et luxu aevi Theodosiani. P. I. II. 1798. 8.

J. A. Bosii de Pontificatu Maximo Imp. praecipue Christianorum. V. *Graevii* Thesaur. antiq. Rom. T. V. p. 271 seqq.

§. 51.

Cum Theodosius a. 395 diem obisset supremum, duos filios *Arcadium* et *Honorium* non solum habuit successores, sed etiam omnis regni forma immutata fuit. Divisione facta ex Monarchia Romana duo orta sunt regna, quorum alterum *Occidentale*, alterum *Orientale* dictum. Duplex autem hoc et divisum regnum labentis Imperii causa fuit prima et praecipua. Nam religionem christianam, quod multi clamitabant, eo nomine minime esse accusandam, nemo melius *Augustino*, in opere praeclaro, quod de civitate Dei scripsit, ostendit. Ecclesia autem turbulentissimis illis temporibus, quae magnam illam revolutionem politicam, quam *populorum migrationem* vocant, quaque universae Europae facies immutata est, subsequuta sunt, haud leviter quidem tacta atque commota, mox tamen incrementa ex hac calami-

tate habuit vix exspectata. Nam omnes fere gentes barbarae ex Asia in Europam migrantes, inprimis *Vandali*, *Gothi* et *Longobardi* religioni christianae nomen dederunt. Itaque, quamvis Gothi et Longobardi *Arianismum* profiterentur, ecclesia externa et visibilis tulit augmentum.

Fontes praecipui hujus historiae ex parte valde obscurae sunt: *Pauli Orosii* adv. Paganos hist. libb. VII. Ed. Havercamp. 1738. 4. *Zosimi* ἱστορία νέα. libb. VI. Ed. *J. F. Reitemeier*. 1784. 8. *Procopii* de bello Persico; libb. II. de bello Vandalico; libb. II. de bello Gothico; libb. IV. Ed. *Dav. Hoeschel*. 1607. f. Ed. *Guil. Dindorf* in Corp. script. histor. Byzant. P. II. Vol. I. II. 1833. 8. *Victoris Vitensis* de persecutione Vandalica. libb. V. Ed. Ven. *Th. Ruinarti* histor. persecutionis Vand. Ven. 1732. 8. *Pauli Diaconi* de gestis Langobardorum. libb. VI. Ed. *H. Grotii* in Historia Gothorum, Vandalorum et Langobardorum. 1655. 8.

§. 52.

Idem factum in terris extra Europam sitis. In *Persia* ab initio saeculi IV plures extiterunt Christianorum coetus, quorum tamen numerus imminui coepit, ex quo Regibus Persicis, in bellis cum Romanis gestis, fides Christianorum esse suspecta. Regnante autem *Sapore* et *Varane* Christiani crudelem persecutionem sunt perpessi [1]). Melior tamen eorum sors et conditio fuit in *Arabia*, *Habessinia*, *Armenia*, *Iberia* s. *Georgia* aliisque Asiae provinciis [2]). Patet hoc, ut alia documenta historica taceamus, vel ex versionibus scripturae sacrae in usum horum populorum confectis.

1) Euseb. h. e. III, 1. de vit. Const. IV, 9—13. Sozom. h. e. II, 8—15. *Assemani* Bibl. Or. T. I. p. 1 seqq. T. III. P. I. p. 396 seqq. Acta Martyrum Orient. T. I. II. 1748. f.

2) De *Arabia* Sozom. h. e. VI, 38. Socrat. h. e. IV, 26. *Ed. Pocockii* Specim. hist. Arab. p. 69 seqq. De *Habessinia* s. Aethiopia Sozom. II, 24. Rufin. h. e. II, 33. Theodor. h. e. I, 22. *Job. Ludolf* Hist. Aeth. lib. II. c. 2. *La Croze* histoire du Christianisme d'Abessinie — et d'Armenie. 1739. 8. De *Armenia* Sozom. II, 8. *Moysis Choeren.* Hist. Armen. Ed. *Whiston.* De *Iberia* Socrat. h. e. I, 20. Sozomen. II, 7.

Mich. le Quien Oriens christianus. T. I—III. 1740. f.

§. 53.

Octoginta post regni divisionem annis (476.) Imperium occidentale, ab omni parte turbatum et commotum, corruit. Haec tamen καταστροφὴ statum ecclesiae occidentalis parum mutavit adeoque episcopis Romanis plus commodi quam incommodi tulit. Nam *Theodoricus*, inde ab a. 493 Rex Italiae, licet Arianus, ecclesiae tamen catholicae fautor et protector, leges, quibus Odoacer, per tredecim annos Italiae Dominus, immunitates et jura episcoporum arctioribus circumscripserat limitibus, abrogavit [1]). Eodem fere tempore *Chlodovaeus* (Chlodovicus, Ludovicus), Francorum Rex, a Remigio Rhemensi baptizatus, ecclesiae catholicae columna esse coepit [2]).

1) *Cassiodori* Chronicon ad Theodoricum Regem. V. Chronic. medii aevi. Ed. *Roessler.* T. I. 1798. 8. Ejusd. Variar. libb. I—VII. *Jornandes* de rebus Geticis. c. 25. c. 46 seqq. V. *Muratori* scriptor. rer.

Ital. T. I. *Ennodii* Panegyric. Theodor. *Fr. Manso's* Gesch. des Ostgothischen Reichs in Italien. 1824. 8.

2) Gregor. Turon. Historia Francorum. lib. I. c. 27. II. c. 28—31. *Chr. G. Fr. Walch* de Clodovaeo Magno ex rationibus politicis Christiano. 1751. 4. *G. G. v. Murr* über die fabelhafte h. Ampulle in Rheims. 1801. 8.

Cap. II.

De statu et regimine ecclesiastico.

§. 54.

Constitutio ecclesiae inde a saeculo IV magis magisque firmari et augeri coepit. *Canones Nicaeni* primam legem de statu Clericorum, de ordine et dignitate Episcoporum, Metropolitanorum et Patriarcharum, et de synodis dioecesibusque ecclesiasticis tulerunt. Episcopi *Romani*, *Alexandrini*, *Antiocheni* et *Hierosolymitani* titulo *Patriarcharum* ornati totiusque ecclesiae *Primates* sunt declarati. Synodus Antiochena a. 341 et Sardicensis a. 344 confirmavit canones Nicaenos, eosque variis ecclesiae orientalis atque occidentalis conditionibus adaptavit.

Gelasii Cyziceni σύνταγμα τῶν κατὰ τὴν ἐν Νικαίᾳ ἁγίαν σύνοδον πραχθέντων libb. III. Ed. *Rob. Balforeus*. Par. 1600. 8. *Mansi* Coll. Concil. T. II. *Joach. Camerarii* hist. Conc. Nic. 1552. *Th. Ittigii* hist. Conc. Nic. 1712. 4.

E. Schelstraten Sacrum Antiochen. Concil. 1681. 4.

Spittler's Unters. der Sardicen. Schlüsse.

§. 55.

Quo anno *Synodus Laodicena* habita sit, pro certo non constat; non tamen falluntur, qui non ante a. 344 et non post a. 365 congregatam dicunt. Decreta autem hujus synodi de Clericorum gradibus, de diei Dominicalis celebratione, et de canone librorum sacrorum, magnam semper in ecclesia habuerunt, quamvis nonnullis dubiis criticis sollicitatam, auctoritatem. Concilium oecumenicum II. s. Constantinopolitanum I. a. 381 Episcopo Constantinopolitano non solum Patriarchae titulum et dignitatem, sed etiam locum inter Romanum atque Alexandrinum adscripsit: quo effectum est, ut inter Antistites *antiquae* et *novae Romae* perpetua rivalitas et contentio intercederet, novisque semper viribus glisceret, ex qua tandem in fine saeculi VI antiqua Roma superior evasit.

Gothofredi Dissert. ad Philostorg. hist. eccl. lib. VIII. c. 3. 4.
Harduini Acta Conc. T. I. p. 777 seqq. *Spittler's* krit. Unters. des LX. Laodic. Kanons. 1777. 8.
Conc. Constant. I. a. 381. c. 3: Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Confirmatum Conc. Chalced. a. 451. can. 28. *Edm. Richerii* hist. Concil. gen. lib. I. c. 8. §. 37.

§. 56.

Inter viros celebriores, qui sedi Romanae praefuerunt, prae ceteris nominandi sunt: 1) *Sylvester*, qui Concilium Nicaenum nec convocavit,

nec confirmavit, nec Constantinum M. baptismo initiavit, nec ejus donationem accepit. 2) *Liberius*, qui, quum diu, sed sine effectu, contra Arianos pugnasset, non solum ab Athanasio, sed etiam a fide catholica defecit, hujusque inconstantiae et perfidiae defensoribus difficillimum fecit negotium. 3) *Damasus*, Hieronymi amicus et litterarum fautor. 4) *Siricius*, omnium primus, ut creditur, titulo *Papae* publice usus. 5) *Innocentius I.*, acerrimus sedis Apostolicae vindex. 6) *Leo I.*, qui omnes suos antecessores ingenio, eruditione et prudentia ita superavit, ut, nemine contradicente, ab omnibus titulo *Magni* ornaretur.

De his consulendi sunt *Anastasii*, *Ciaconii*, *Platinae*, *Sandini*, *Bowerii*, *Walchii*, *Spittleri* aliorumque libri de vita et rebus gestis Pontif. Roman.

§. 57.

In judicio de Praesulibus ecclesiae Constantinopolitanae miram deprehendimus varietatem. Primi hujus ecclesiae episcopi nullam consequuti sunt famam. *Eusebius* autem *Nicomediensis* et *Macedonius* haereticis annumerandi. Contra *Gregorius Nazianzenus* et *Johannes Chrysostomus*, Patriarcharum nomen gerentes, fidei orthodoxae columnae et Theologi justissima ab omni posteritate laude celebrati. *Nestorius* propter haeresin damnatus et dignitate episcopali privatus; *Flavianus*, Leonis M. amicus, ob orthodoxiae studium martyrium passus. *Anatolius*, *Gennadius*, *Acacius*, *Anthimus*, *Johannes Jejunator* et *Cyriacus* controversiis perpetuis cum sede Romana inclarue-

runt, et strenuorum immunitatis et privilegiorum defensorum laudem meruerunt.

Petr. de Marca de Constantinop. Patriarchatus instit. V. Dissert. ad Concord. sacerd. et imperii. Ed. Boehmer. p. 155 seqq.
Ans. Banduri Imperium Orient. s. Antiq. Constantinopolit. Ed. Ven. 1729. T. I. II. f.

§. 58.

In ecclesia *Alexandrina* duo Episcopi *Alexander* atque *Athanasius* ortum et progressum Arianismi fortiter impugnarunt. Non impedire tamen valuerunt, quo minus plures inter ipsorum successores ad castra Arianorum transirent. *Cyrillus* et *Dioscurus* in eo quidem similes, quod Nestorianismum mascule impugnabant, ceterum Cyrillus longe differebat et eruditione et prudentia a Dioscuro, qui in latrocinio Ephesino (a. 449) pro Eutychis causa magna cum atrocitate atque impietate pugnavit. Inter ejus successores nemo Dioscuro similior, quam *Petrus Mongus* schismatis *Acephalorum* auctor.

Chronicon Orient. Ed. *Abrah. Echellensis.* 1651. f.
Mich. Wansleben histoire de l'Eglise d'Alexandrie. 1677.
Euseb. Renaudot historia Patriarch. Alex. 1713. 4.

§. 59.

Ecclesia *Antiochena* a pristinis temporibus multarum rixarum et turbarum theatrum. Exemplo Pauli Samosateni plures hujus ecclesiae Anti-

stites auctoritatem Conciliorum publice spernere ausi sunt. Saeculo IV litterarum status erat florentissimus, ita ut *Schola Antiochena*, Alexandrinae aemula, maximam haberet famam. Haec tamen minui coepit, quum post contentiones a *Meletio*, *Paulino*, *Euzoio*, *Flaviano* atque *Evagrio* propter thronum episcopalem excitatas, turbae Monophysiticae omnem pacem fugarent et litterarum interitum pararent.

De Antiochenis Episcopis a saec. I — XIII. Thesaur. eccles. antiq. T. III. Sect. XI.

Fr. Münter über die Antiochenische Schule. V. Archiv für alte u. neue Kirchengesch. I. B. I. St. 1813. 8.

§. 60.

Praecipua urbis *Hierosolymitanae* laus et gloria semper in eo fuit posita, quod theatrum utriusque status Jesu Christi fuit, quodque Apostoli primam ibi condiderunt ecclesiam, ad cujus typum omnes in orbe terrarum ecclesiae sunt instauratae, et quod denique inde a saec. III. fideles ex omnibus regionibus, *sacris peregrinationibus*, ad loca sancta confluxerunt. Hujus tamen ecclesiae auctoritas idealis et religiosa potius, quam externa et politica fuit. Hinc factum est, ut Episcopus Hierosolymitanus nec magnam provinciam administraret, nec inter *Αὐτοκεφάλους* esset referendus. Nam Episcopi Neocaesareenses et Antiocheni, etsi dignitatem atque honores, quos Concilium Nicaenum Episcopo Hierosol. decreverat, haud denegabant, ei tamen jurisdictionem ecclesiasticam plenariam nullo modo concedere voluerunt. Qua de re diu inter hunc

atque illos concertatum est. *Cyrillus* et *Johannes Hierosolymitanus* unici fere fuerunt, qui famam hujus ecclesiae posteritati traderent.

Tertull. de praescript. haer. c. 21. adv. Marc. IV, 35: ut scirent, Hierosolymis esse et sacerdotes et templum, et *matricem religionis*, et fontem, non puteum salutis. Conc. Nic. c. 7. Theodor. h. e. V, 9. Sozom. h. e. II, 20. IV, 25. De successione Episc. et Patr. Hierosol. Thesaur. eccl. antiquit. T. I. p. 265 seqq.

Cap. III.

De Conciliis ecclesiasticis.

§. 61.

Concilium a. 325 Nicaeae habitum, praeter causam Arianam, etiam Hierarchiam ecclesiasticam tractavit, et non solum de fide orthodoxa, sed etiam de regimine ecclesiastico decreta promulgavit, quae ab universa ecclesia essent recipienda atque observanda. Hinc σύνοδος οἰκουμενική (*Concilium generale* s. *universale*, C. ex toto orbe, s. Imperio Romano, convocatum) fuit vocatum, quod nomen deinde ad alias quoque synodos, quamvis non semper eadem significatione, transiit. In eo tamen consensus, concilium oecumenicum illud dici, quo, sub publica saecularis potestatis auctoritate, de causa fidei et disciplinae ecclesiasticae agatur, cujusque decreta vim legum publicarum et civilium obtineant. Duplex igitur horum conciliorum erat auctoritas, et ecclesiastica

(quae saepius *canonica* dicebatur, adeoque haud raro *divina* credebatur), et politica, quam utramque autem Haeretici, diversis ex argumentis, impugnare solebant.

J. S. Baumgarten de auctoritate numeroque Conciliorum oecumenicorum. 1753. 4.
Socrat. h. e. IV, 1. Euseb. de vit. Const. M. I, 44. III, 20. Basil. M. ep. 114. Optat. Milev. de schismate Donatist. lib. I. c. 22. III, 3. *Mansi* Collect. Conc. T. III. p. 557. T. XI. p. 921 seqq. *Fuchs* Bibl. der Kirchenversamml. Th. I. p. 16—18. Th. III. p. 166. Gregor. M. Ep. I. ep. 24. Justin. Novell. 131.

§. 62.

Concilium oecumenicum primum (Nicaenum) post LV annos a. 381 sub auspiciis Theodosii M. insequutum est Oecumenicum secundum, *Constantinopolitanum.* Congregati sunt CL Episcopi, iique omnes ex ecclesia Orientali, id quod inique tulerunt Occidentales. Praefuerunt tamen viri gravissimi, *Gregorius Nazianzenus*, *Gregorius Nyssenus*, *Amphilochius*, *Diodorus Tarsensis* aliique. Symbolum Nicaenum repetitum et, nonnullis formulis omissis, art. II. et III. additamentis pluribus auctum, tanquam nova lex contra varias *Arianorum* familias et contra *Photinianos*, *Apollinaristas* et *Macedonianos* proclamatum. Praeterea novus Patriarcharum et provinciarum ecclesiasticarum ordo praescriptus. Decreta hujus Concilii Theodosius M. leges imperiales declaravit. Ecclesia occidentalis, Romana interprete, canones dogmaticos probavit, disciplinares autem non admisit.

Socrat. h. e. V, 6—8. Sozom. VII, 7—9. Theodor. V, 6—8. *Harduini* Acta Conc. T. I. p. 807 seqq. *Edm. Richerii* hist. Conc. gen. lib. I. c. 3. *W. P. Verpoorten* hist. Concil. Oecum. II. Constant. 1744. 4.

§. 63.

Concilium oecumenicum tertium, *Ephesinum*, a. 431 propter *Nestorii* causam ab Imperatore *Theodosio II.* convocatum. Sub praesidio *Cyrilli Alexandrini* Nestorii doctrina de duabus in Christo naturis ejusque inprimis formula χριστοτόκος anathematizata. In eodem tamen Concilio, sive potius vera *Anti-Synodo*, sub praesidio *Johannis Antiocheni*, et a parte Episcoporum Orientalium, Nestorius insons et orthodoxus declaratus est. Auctoritate tamen Caesarea Cyrilli sententia confirmata postea quoque tanquam genuina Concilii Ephesini declaratio valuit.

Socrat. VII, 33. 34. Evagrii h. e. I, 3—5. *Harduini* Acta Conc. T. I. p. 1271 seqq. *Mansi* T. V. VI. *Fuchs* Biblioth. d. K. V. Th. IV. p. 1—210.

§. 64.

Sed majorem digrioremque habet auctoritatem Concilium oecumenicum quartum, *Chalcedonense*, a. 451 ab Imperatore Marciano moderatum. Praesentes fuerunt DCXXX Episcopi, a quibus omne hoc negotium, non sine tranquillitate et honestate, peractum. Symbolo Nicaeno tanquam fundamento primario usi sunt, sed addiderunt, maximam partem ex Cyrilli Alex. Epistolis et ex Leonis Epist. ad Flavianum, omnia ea, quae ad *Nestorii* atque

Eutychis erroneam de Jesu Christi persona sententiam profligendam spectarent. Propter singulas symboli Chalcedonensis formulas ac phrases multae exortae sunt altercationes. Displicuit can. XXVIII., quo sedi Constantinopolitanae eadem dignitas cum sede apostolica Romana tribuitur, Romanis, ideoque hunc canonem vel ignorarunt, vel suppositum declararunt.

Evagrii hist. eccl. II, 1. 2. *Harduini* Acta Conc. T. II. p. 1 seqq. *Mansi* T. VI. p. 563 seqq. *Fuchs* Th. IV. p. 266 seqq. *Benzelii* Vindic. Concil. Chalced. V. Dissertat. acad. T. I. p. 599 seqq. *Mich. le Quien* Oriens Christ. T. I. 1740. f. p. 29 seqq.

§. 65.

Cum controversiae et turbae, quae Orientis ecclesiam commoverunt, decretis Chalcedonensibus nondum compositae, sed potius denuo excitatae atque auctae essent, ad pacem restituendam a. 553 Imperator *Justinianus I.* Concilium oecumenicum quintum (Constantinopolitanum II.) non solum convocavit, sed ipse moderatus est. Controversia *de tribus capitulis* in favorem Monophysitarum dijudicata est, multis episcopis occidentalibus frustra obloquentibus. Horum antesignanus *Vigilius*, Ep. Romanus, audacior quam prudentior, male suam causam egit et pessimum inconstantiae dedit exemplum, quo factum, ut decreta hujus Concilii, nulla quidem Imperatoris lege confirmata, attamen ad ejus nutum promulgata, etiam a potiori parte Occidentalium reciperentur.

Harduin. T. III. p. 1—214. *Mansi* T. IX. p. 274 seqq. *H. Norisii* Dissert. de Synodo quinta oecum. Opp.

T. I. p. 541 seqq. *Facundi* pro defensione trium capitul. Conc. Chalced. libb. XII. Ed. *Jac. Sirmond.* 1629. *J. H. Mücke* de tribus capitulis Conc. Chalced. 1766. 4.

§. 66.

Conciliorum particularium et provincialium tantus fuit numerus, ut non immerito hoc tempus *aevum synodale* dixeris. In causa Ariana plus quam triginta numerantur, tantusque erat synodalis fervor, ut Gentilibus scandalum praeberetur. Idem fere etiam in aliis controversiis, excepta Pelagiana, quae rarius in synodis tractata est. Facile autem observari potest, ecclesiam occidentalem hoc tempore minus amasse synodos, et ecclesiam Romanam inprimis omni studio allaborasse, ut conventus synodales parcius haberentur, et ut particularium conciliorum limites non excederent. Quod cur factum, sine difficultate intelligitur.

Gregorii Naz. judicium de synodis Epist. LV ad Procop. Opp. T. I. p. 814. Ep. LXXVI. p. 830. T. II. p. 81. De Constantio Imp. refert Ammianus Marcell. lib. XXI. c. 16: Christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens; in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit discidia plurima, quae progressa fusius aluit concertatione verborum: ut catervis Antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per *Synodos*, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariae succideret nervos.

Cap. IV.

De Patribus ecclesiasticis.

§. 67.

Nullum tempus tot praeclaros protulit auctores, quam praesens, quod omni de jure *aetas aurea litterarum christianarum* pronuntiatur. Ab initio quidem Graeci primas habuerunt partes; sed mox Latini tanto successu Graecos sunt aemulati, ut ipsis palmam praeriperent. Id autem discriminis mansit inter utriusque ecclesiae auctores dogmaticos, quod Graeci *Theologiam*, Latini vero *Anthropologiam* prae ceteris excoluerunt.

Th. G. Thienemann's Charakteristik der Kirchenväter. cf. N. Journal für Prediger. B. XXVI. St. 4. p. 385 seqq. B. XXXV. St. 1. p. 1 seqq.

§. 68.

Inter Graecos *Athanasius*, *Cyrillus Hierosolymitanus*, *Basilius M.*, *Gregorius Nyssenus* et *Gregorius Nazianzenus* Theologiam dogmaticam et polemicam feliciter exornarunt. Horum quidem libri, cum ad unum omnes fere Arianismum impugnent, varietate argumenti carent, et chorda, quod ajunt, oberrant eadem: sed iidem insigne pietatis, fidei rectae et solidioris doctrinae studium produnt, et omne hoc argumentum subtiliter, acute et perspicue pertractant. *Epiphanius* opus historicum et polemicum contra Haereticos scripsit nimio odio theologico refertum, sed ideo

non omni fide historica et auctoritate, ut nonnullis recentioris aevi Criticis visum est, privandum. *Cyrillus Alexandrinus*, si nullum aliud haberet meritum, vel ideo magni faciendus, quod Nestorianismum plenius, quam alii, exposuit.

S. Athanasii Opera. Ed. Bernh. de Montfaucon. Par. 1698. T. I—III. f. *J. A. Moehler:* Athanasius d. Grosse und die Kirche seiner Zeit. Th. I, II. 1827. 8.

Cyrilli Hierosol. Opp. Ed. *A. A. Touttée.* Par. 1720. f. Vers. germ. auct. *Feder.* 1786. 8. *J. S. Deyling* Cyrillus Hieros. a corruptelis Pontif. vindicatus. 1728. 4.

Basilii M. Opp. Ed. *Jul. Garnier.* Par. 1721—1736. T. I—III. f. Vers. germ. a *Jos. v. Wendler.* Th. I—VI. 1776—1778. 8.

Gregorii Nysseni Opp. Ed. *Front. Ducaeus* (le Duc). Par. 1615. T. I. II. Addit. *Jac. Gretseri* 1618. f. Edit. Par. 1638. T. I—III. f. VII Epist. ed. *Carraccioli.* 1731. f.

Gregorii Nazianzeni Opp. Ed. *F. Morellius.* Par. 1609—1611. 1630. T. I. II. f. Colon. 1690. Ed. *C. Clemencet.* T. I. Par. 1788. f. *C. Ullmann* Gregor. v. Nazianz der Theologe. 1825. 8.

Epiphanii Opp. Ed. *Dion. Petavius.* Par. 1622. T. I. II. f. Colon. 1682.

Cyrilli Alexandrini Opp. Ed. *Joh. Aubert.* Par. 1638. T. I—VII. f.

§. 69.

De sacrae scripturae interpretatione *Johannes Chrysostomus* et *Theodoretus* prae ceteris bene meruerunt. Ille simul clarissimus sui aevi orator: hic historiae scriptor haud contemnendus. *Synesii* supersunt orationes, epistolae et carmina sacra, quae ingenium et pietatem testantur. In *Isidori Pelusiotae* epistolis de rebus dogmaticis et ethicis

satis bene exponitur. Hoc quoque tempore libri scripti sunt, qui sub nomine *Dionysii Areopagitae* circumferuntur, quorumque usus in historia dogmatum et in Theologia mystica haud exiguus est.

Jo. Chrysostomi Opp. Ed. *H. Savilii.* Eton. 1613. T. I—VIII. f. Ed. *B. de Montfaucon.* Par. 1718—1738. T. I—XIII. f. rep. Venet. 1755—1780. T. I—XIV. f. Versiones var. serm. et tractat. Crameri, Schneideri, Federi, Ph. Mayeri, Hasselbachii, Ritteri al. *A. Neander* der h. Chrysostomus. 1821—1822. B. I. II. 8.

Theodoreti Opp. Ed. *Schulze* et *Noesselt.* Hal. 1769—1774. T. I—V. 8. *J. F. C. Richter* de Theodoreto Epp. Paulin. interprete. 1822. 8.

Synesii Opp. Ed. Dion. Petavius. Par. 1612. f. 1631—1633. *Chadenii* Diss. de Theologia Synesii.

Isidori Pelusiotae Epp. et opp. exeget. Ed. *Rittershusius*, *Schott* et *Possinus.* *C. A. Heumann* de Isidoro Pel. et ejus epist. 1737. 4. *H. A. Niemeyer* de Isidori P. vita, scriptis et doctrina. 1825. 8. *J. S. Vater* über die Briefe des Isidor von Pelusium. V. Archiv für alte u. neue Kirchengesch. H. II. 1825. 8. p. 197 seqq.

Dionysii Areopagitae Opp. Ed. *B. Corderius.* 1634. T. I. II. f. Ed. Venet. 1755—1756. T. I. II. f. Vers. germ. *Engelhardti.* 1823. Th. I. II. 8. *Jo. Dallaei* de scriptis, quae sub Dion. Ar. et Ignatii Ant. nominibus circumferuntur. 1666. 4. *J. G. V. Engelhardt* de Dionysio Plotinizante. 1820. 8. *Baumgarten-Crusius* de Dion. Areop. 1823. 4.

§. 70.

In ecclesia latina Triumviri eruditione, ingenio et virtute theologica ita eminent, ut recte typi posteritatis habeantur. *Hieronymus*, Stridonen-

sis, Latinorum doctissimus, totam suam vitam indefesso sacrarum litterarum studio consecravit et in interpretatione grammatica, critica et historica factus est princeps. Ab eo subsidia exegetica mutuatus *Augustinus*, Hipponensis, eximia cum sagacitate et consequentiae indagine, dum errores Manichaeorum, Donatistarum et Pelagianorum fortiter et feliciter oppugnabat, fundamentum systematis theologici posuit ac firmavit, quod admirationem omnium saeculorum et unanimem utriusque Evangelicorum familiae assensum tulit. Tertius in hoc numero *Leo I.*, Episcopus Romanus, in turbulentissimo ecclesiae et reipublicae statu Pontificatum suum tanta cum prudentia, fortitudine et constantia gessit, ut omnium consensu in suo aevo et a posteritate *Magnus* vocaretur.

S. Eus. Hieronymi, Stridonensis, Opp. Ed. *Dom. Vallarsi.* T. XII. Veron. 1734—1742. f. Ed. Venet. XV Voll. 1766—1770. f. *J. Clerici* Quaestiones Hieron. 1700. 8. *Laur. Engelstoft* Hieronymus interpres, criticus, exegeta, apologeta, historicus, doctor, monachus. 1797. 8.

Aurel. Augustini Opp. Edit. Bened. Par. 1679—1700. T. I—XI. f. rep. a J. Clerico Antverp. 1700—1703. T. I—XII. f. Tractatus singuli de civitate Dei, de doctrina chr., confessiones, enchiridion, sermones etc. saepius editi et translati.

Leonis Magni Opp. Ed. *Pasch. Quesnel.* Lugd. 1700. T. I. II. 4. Ed. *Ballerini.* Ven. 1751—1753. T. I—III. f. *J. J. Griesbach* de locis theol. Leonis M. 1768. 4. Cf. Opusc. acad. ed. Gabler. T. I. p. 45 seqq.

§. 71.

Hos triumviros ecclesiae occidentalis excipiunt Patres latini secundi ordinis et loci. In his autem

prae ceteris nominandi sunt: *Hilarius Pictaviensis*, *Optatus Milevitanus*, *Rufinus*, *Ambrosius*, *Prosper Aquitanus*, *Fulgentius*, *Facundus* et *Boëthius*, ex quorum scriptis varii argumenti multa haurire possumus, ad statum ecclesiae et theologiae rectius cognoscendum et dijudicandum. Floruerunt hoc quoque tempore haud pauci *poetae christiani*, quorum carmina et hymni ad nos pervenerunt, et inter quos *Ambrosius*, *Juvencus*, *Prudentius*, *Paulinus Nolanus* et *Sedulius* nominis famam habent.

Hilarii Pictaviensis Opp. Ed. *Scip. Maffei.* Veron. 1730. T. I. II. f. Ed. Oberthür. 1789. T. I—IV. 8.

Optati Milevitani de schismate Donatistarum adv. Parmen. libb. VI. Ed. *El. du Pin.* Par. 1700. f. Ed. Oberthür. 1789—1791. T. I. II. 8.

Rufini Toranii Opp. Ed. de la Barre et Vallarsi. *J. Fr. M. de Rubeis* Monum. eccl. Aquilejensis. 1740. f. Ejusd. de Turanio s. Tyrannio Rufino. 1754.

Ambrosii Mediolan. Opp. Ed. Bened. Par. 1686—1690. T. I. II. f. rep. Amstel. 1698. f.

Prosperi Aquitan. Opp. Ed. Paris. 1711. f. Ed. Rom. 1758. 8.

Fulgentii Ruspensis Opp. Ed. *Sirmond.* 1623. Ed. *Mangeant.* Par. 1684. 4. rep. Ven. 1742. f.

Facundi Hermian. Opp. Ed. *Sirmond.* Par. 1629. 4.

Boëthii Opp. Ed. Basil. 1546. rep. 1570. f.

Juvenci hist. evangel. libb. IV. Ed. Erh. Reusch. 1710. 8. Ed. Gebser. 1825. 8.

Prudentii Carmina. Ed. Nic. Heinsius. 1667. 8. Ed. Faustin. Arevallus. Rom. 1788—1789. T. I. II. 8. Edit. Parm. 1788. T. I. II. 4. *Henr. Middeldorpf* de Prudentio et Theol. Prudent. P. I. II. 1825. 4.

Paulini Nolani Opp. Ed. Le Bruin. Par. 1685. 4. Ed. Muratori. Veron. 1736. f.

Sedulii Carmen paschale, Libb. V. Ed. Chr. Cellarius. 1704. 8. Ed. J. F. Gruner. 1747. 8.
Cf. *Georg. Fabricii* Poetarum vet. eccles. opera christiana et operum reliquiae et fragmenta. Basil. 1562. 4.

Cap. V.

De Haereticis et controversiis theologicis.

§. 72.

Ut ex scriptis Patrum, ita quoque ex controversiis theologicis, quibus hoc aevum abundat, diversus genius et character utriusque ecclesiae intelligitur. Omnes fere ac singulae, quae Orientem commoverunt, controversiae, ad *dogma de Trinitate* et *de persona Jesu Christi* sunt referendae. In Occidente autem *doctrina de homine, de natura et gratia, de praedestinatione*, *de peccato originali*, *de sacramentis et de ecclesia* prae ceteris mentes doctorum occupavit. In modo praeterea ac methodo causas controversas de religione et theologia tractandi Graeci et Latini in diversas abeunt partes.

Wilh. Münscher's Handb. der chr. Dogmengesch. Th. III. p. 179 seqq. p. 219—228.

§. 73.

Inter omnes controversias nulla fuit tam longe lateque diffusa, tam diu durans, et tam multos magnosque effectus proferens, quam *Ariana.*

Anno 317 erumpens, rapidissimos fecit progressus; in Concilio quidem Nicaeno damnata, paulo post tamen denuo grassari coepit, neque morte Arii (a. 336) suppressa. Sententiam Arianam de inaequalitate essentiae et de subordinatione filii *Eusebius Nicomediensis* et post illum, licet diverse atque immodice, *Eunomius*, *Acacius* et *Aëtius* amplexi sunt. His nomen genuinorum et perfectorum Arianorum imponi solet. Sciendum tamen, *Eusebianos* longe moderatiores fuisse *Eunomianis*, sive Anomoeis, qui rectius *Hyper-Ariani* sunt dicti, quique non solum terminos illos technicos et diacriticos ὁμοούσιος, ὁμοιούσιος et ὅμοιος respuerunt, sed etiam omnem cum Nicaenae fidei professoribus communionem sustulerunt.

Mich. Siricii epit. histor. Arianae. 1660. 8.
C. C. Sandii nucleus hist. eccl. exhibitus in hist. Arianorum. Ed. 2. 1676. 4.
L. Maimbourg histoire de l'Arianisme.
(*J. A. Stark's*) Versuch einer Geschichte des Arianismus. Th. I. II. 1783—1785. 8.
C. M. Travasa storia critica della vita di Ario. 1746. 8.
J. E. Schubert de vera origine Arianismi. 1768. 4.
Chr. Fr. Enke de praecipuis Arianismi latissime olim propagati causis. 1779. 4.

§. 74.

Semi-Ariani dicti sunt illi doctores, qui, etsi τὸ ὅμοιον et τὸ ὁμοιούσιον profitebantur, identitatem tamen essentiae (τὴν ταυτότητα τῆς οὐσίας) negarunt, ideoque τὸ ὁμοούσιον admittere noluerunt. Pro certo constat, *Georgium Laodicenum*,

Eusebium Emesenum et *Basilium Ancyranum* ex partibus Semi-Arianorum fuisse: de *Eusebio Caesareensi*, *Cyrillo Hierosolymitano* et *Marcello Ancyrano* in dubio relictum; hoc tamen certum, hos nunquam inter Haereticos fuisse numeratos. Arctius conjuncti Semi-Ariani cum Orthodoxis s. Homousiastis, quam cum genuinis Arianis, saepius, quam maxime autem in Synodo Ancyrana (a. 358), defensionem Symboli Nicaeni contra Anomoeos susceperunt.

Epiphanius (haer. LXXIII. §. 1.) primus fuit, qui puros ac putos Arianos (quos *Ἀρειομανῖτας* vocat) et *Ἡμιαρείους* distinguit, horumque duces Basilium Ancyranum et Georgium Laodicensem dicit.

Chr. H. G. Rettberg in Eusebii contra Marcellum libros observat. sel. 1787. Ejusdem Marcelliana; accedit Eunomii ἔκθεσις πίστεως emendatior. 1794. 8.

§. 75.

Inter haereses ex controversia Ariana ortas prima ea est, cujus auctor *Photinus*, Episcopus Sirmiensis, Marcelli Ancyrani discipulus, circa annum 343. Arianismo opposita ad Sabellianismum potius accedens, Nicaenis non minus displicuit, quam Arianis. Ab illis in Synodo Antiochena (a. 344) et Mediolanensi (a. 347), ab his vero in Synodo Sirmiensi (a. 351) damnatus Photinus, ab episcopatu detrusus, in exilio mortuus est.

Dion. Petavii Dissert. de Photino haeretico ejusque damnatione. V. Rationar. temp. Par. 1636.

Matth. Larroquani Dissert. I. de Photino haeretico. II. de Liberio Pont. Rom. 1670. 8.

§. 76.

Alia et Arianismo exorta eique opposita haeresis *Apollinarismus* denominata ab *Apollinari* (s. Apollinario), Episcopo Laodiceno, viro probo, docto et sagacissimi ingenii. Is argumentatione philosophica usus in doctrina de persona Christi perfectionem naturae humanae et veritatem et realitatem ψυχῆς λογικῆς negaverat. Quae sententia inde ab a. 371 ab Athanasio, Diodoro Tarsensi, Gregorio Nysseno, Epiphanio, Cyrillo Alex. aliisque impugnata et a Concil. Constant. a. 381. c. 1. et 7. damnata, edictis etiam Theodosianis interdicta. Apollinaristae, qui et *Dimoeritae* (Διμοιρῖται) dicuntur, in ecclesia Occidentali paucos vel nullos habuerunt asseclas, obstante Synodo Romana (a. 367); in Oriente plures fuerunt, inprimis in Cilicia, Phoenizia et Syria; sed brevi tempore cum Eutychianis et Monophysitis coalescere coeperunt.

Jac. Basnage Dissert. de hist. haeres. Apollinar. 1687. 8.
Th. Wernsdorf de Apollinare haeretico. 1694. 4.
J. J. Schroeder de haeresi Apollinaristica. 1717. 4.

§. 77.

Tertia hujus generis haeresis, *Macedonianismus*, proxima causa fuit, cur Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum in art. III. nova formula augeretur. *Macedonius*, Semi-Arianus, a. 341 successor Eusebii Nicomediensis in sede Constantinopolitana factus, sed a. 360 ab Eunomianis

pulsus, theoriam de subordinatione adeo extendebat, ut tertiae personae in S. Trinitate divinitatem prorsus tolleret, et Spiritum S. διάκονον καὶ ὑπηρέτην vocaret. Propter hanc impietatem Macedonius et qui partes ejus sequerentur, quorum pauci numerantur et inter quos *Eustathius*, *Marathon* et *Eleusius* recensentur, tanquam Πνευματομάχοι sunt reprobati.

G. H. Goetze Dissert. de Macedon. Cf. *J. Vogtii* Biblioth. haeresiol. T. I. P. I. p. 165 seqq.

Sauberti Dissert. ad initium Ev. Johannis a Macedonianis corruptum. 1679. 4.

§. 78.

Disputationes de λόγῳ (quas commode sub titulo λογολογίας comprehendimus) facile viam ad *Christologiam* parabant. Id jam in Apollinarismo (§. 76) manifestum, in *Nestorianismo* autem extra omnem dubitationem positum. *Nestorius*, Antiochenus et Theodori Mopsvestini discipulus, a. 428 ad Patriarchatum Constantinopolitanum promotus, invidiam et odium multorum Episcoporum et Monachorum, nec non iram Aulicorum, excitavit. Hinc factum, ut, cum in publica oratione formulam Θεοτόκος a multis amatam reprehenderet, et Χριστοτόκος commendaret, non solum a suo clero, sed etiam a Cyrillo Alexandrino et Coelestino Romano, tanquam verae divinitatis in persona Christi abnegator et tanquam Pelagii sectator, acriter reprehenderetur. Quam commoti disceptantium fuerint animi, ex Cyrilli XII Anathematismis et totidem Anti-Anathematismis, quos

Nestorius Cyrillo opposuit, intelligitur. Pari ardore et partium studio haec causa in Concilio Ephesino a. 431 dijudicata et absoluta, ut supra (§. 63) dictum. Nestorius in exsilium missus a. 439 (vel 440) diem obiit supremum, multos relinquens amicos et defensores, quorum sedes primaria schola et ecclesia *Edessena* fuit, ex qua in Persiam aliasque Asiae partes migrarunt; ibique *Secta Nestorianorum*, qui et *Chaldaei* et *Thomani* nominantur, existere coepit, et ad nostrum tempus perduravit. De genuina Nestorii sententia semper, quam maxime nostro aevo, disputatum est. Utcunque autem est, ea, qua proposita et ab universa ecclesia damnata est, forma neutiquam defendi potest.

Marii Mercatoris de haeresi Nestorii etc. Opp. ed. Jo. Garnerii 1673. P. II. cf. Gallandi Bibl. Patr. T. VIII. p. 613 seqq..
Liberati Breviarium causae Nestor. et Eutych. Ed. Garnerii. 1675. 8. cf. Gallandi B. P. T. XII. p. 119 seqq.
P. E. Jablonski Exercit. de Nestorianismo. 1724. 4.
— — — de Nestorii meritis. 1738. 4.
J. G. Schmid vera Nestorii de unione naturarum in Christo sententia. 1793. 4.
Assemani de Syris Nestorianis in Bibl. Orient. T. III. P. II.

§. 79.

Ut divisionem naturarum, quam Nestorius docere credebatur, evitaret, *Eutyches*, Praepositus Monasterii Constant. (Ἀρχιμανδρίτης), senex ad subtilitates theologicas parum aptus, ad modum Apollinaris, confusionem (σύγχυσιν) naturarum et

absorptionem humanae naturae docuit. In Synodo a. 448 sub *Flaviano* tam male causam suam sustinuit, ut damnaretur et ab officio deponeretur; quam sententiam *Leo M.*, ad quem provocaverat Eutyches, confirmavit. Cyrilli tamen successor *Dioscurus* in Latrocinio Ephesino (a. 449), indignis atque injustis armis, Eutychen in integrum restituit. Sed paulo post a. 451 Concilium Chalcedonense judicium Flaviani et Leonis I. tanquam legem canonicam sanxit, pariterque Nestorianum atque Eutychianum dogma falsum declaravit.

Breviculus historiae Eutychianistarum. Ed. Sirmond. Opp. T. I. Gallandi Bibl. Patr. T. X. p. 665 seqq.
C. A. Salig de Eutychianismo ante Eutychen. 1723. 4.
Schroeder (*Haass*) de Eutychianismo ejusque variis sectis. 1746. 4.
J. G. Schmid de Eutychis de unione naturarum in Christo sententia. 1794. 4.

§. 80.

Tantum autem abfuit, ut decretis Chalcedonensibus pax restitueretur, ut novis gravioribusque dissidiis occasio praeberetur. Nam *Barsumas*, Syrus, et *Theodosius*, Monachus Palaestinensis, doctrinam Chalcedonensem de duabus in Christo naturis, et τὸ ὁμοούσιον κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα atrociter impugnantes, cum Dyophysitis nil habere voluerunt commune. Eorum partes sequuti *Timotheus Aelurus*, *Petrus Mongus*, *Petrus Fullo* multique alii, quibus nomen *Monophysitarum* inditum, non tam causam theologicam, quam potius politicam egerunt. Nova formula *Trisagii* (τρισάγιον s. Hymnus Seraphicus), quae *Philoxeno*

tribuitur et quae nomen *Theopaschitarum* protulit, classicum erat, quo Monachi Syriam et Aegyptum crudeliter turbarent. Imperatores Leo I., Zeno I., Anastasius et Justinus I. frustra annisi sunt tantas componere lites et turbas. Feliciori successu *Justinianus I.* superavit Monophysitas a Vigilio Romano sine effectu defensos et dissidiis internis debilitatos. Nihilominus magna eorum pars hanc Sectam ita continuavit, ut in Armenia, Syria et Aegypto tres Patriarchatus Monophysitici ad novissima tempora perdurarent.

Assemani Dissert. de Monophysitis. Bibl. Or. T. II.

Koecher Monophysitarum sententia de persona et naturis Jesu Chr. 1751. 4.

Joh. Abudacni historia Jacobitarum. Ed. J. Nicolai. Lugd. Bat. 1740. 8.

§. 81.

Controversia *Origenistica* cum Monophysitica, non ratione argumenti, sed ratione temporis et personarum cohaeret et societatem quandam Orientalis et Occidentalis ecclesiae testatur. Jam saec. IV et V de Origenis orthodoxia et interpretatione a viris doctis in utramque partem disputatum erat. Inter defensores ejus eminent Dionysius Alex., Gregorius Thaumaturgus, Pamphilus, Chrysostomus, Rufinus aliique, ad quos tandem, ex parte, accedebat Hieronymus. Adversarii erant Methodius, Epiphanius, Theodorus Mopsvestinus, prae ceteris autem *Theophilus Alexandrinus* et *Menas* Constant. Patr. Hic in Synodo Constant. a. 544 sub Justiniano Imperatore, qui ipse librum

adversus Origenem scripsit, errores Origenistarum eorumque tunc temporis ducem *Theodorum Ascidam*, Episcopum Caesareensem, damnavit. An haec damnatio in Concil. Oecumen. a. 553 repetita sit, dubia est quaestio, quae tamen ex argumentis a multis VV. DD. prolatis, quod contradictionem cum *tribus capitulis* contineat, et ab Episcopis Romanis Vigilio, Pelagio II. et Gregorio M. ignoretur, minime neganda esse videtur.

P. D. Huetii Origeniana. Cf. Origenis Opp. ed. de la Rue. T. IV.

Walch's Historie der Ketzereyen. Th. VII. p. 367—760.

§. 82.

Donatistarum Schisma, initio saec. IV jam exortum (§. 45), hoc tempore in Africa mirum in modum augeri coepit. Formam ac faciem factionis et rebellionis potius habet, quam controversiae theologicae. Nam *Agonistae* s. *Circumcelliones* pugiles, gladiatores et latrones rectius dicendi, quam Theologi et sacerdotes. Odio autem indelebili in omnes Catholicos, quos aut Traditores aut Traditorum fautores habebant, et in eorum templa et sacerdotes ita saeviebant, ut armata manu ab Imperatoribus essent coercendi. Sed et illi, qui minus feroces essent, tamen catholicae ecclesiae sacramenta spernebant, et baptismum iterabant. Inde ab a. 393 saepius convocatae Synodi, Augustino potissimum suasore, quibus tamen pax non restituta. Cum interea schisma inter ipsos Donatistas esset ortum, quo in *Primianistas* et *Parmenianos* divisi, faciliori negotio vinci poterant.

Victi autem sunt in *Collatione Carthaginiensi* a. 411 jussu Honorii solemni modo habita ab *Augustino* et *Marcellino*. Pars eorum ad Catholicos transiit, pars vero apud Vandalos paulo post Africam invadentes refugium habuit. Post interitum regni Vandalici (a. 534) denuo emergentes, sed a Gregorio M. oppugnati, tandem sub Arabum dominatione exspirarunt.

V. supra §. 45.
Gesta Collationis Carthagin. inter Catholicos et Donatistas. Ed. P. Pithoeus. 1596. 8.
G. J. de Buinink histor. Carthag. Collationis. 1763. 8.
J. Ph. Storr's ausführl. u. gründlicher Bericht von dem Namen, Gelegenheit, Ursprung, Abnahme etc. der Donatisten. 1713. 4.
J. M. Leideckeri hist. eccl. Afric. T. I. II. 1692. 4.

§. 83.

Si *Pelagius* auctor novae haereseos dicitur, id non sensu politico, vel ecclesiastico, sed theologico intelligendum. Nam nunquam *Secta Pelagianorum* extitit, sed hoc nomen omnibus impositum est, qui sententiam de peccato originis, de libero arbitrio et de gratia, quam ineunte saec. V *Pelagius*, Monachus Britannicus, primum Romae (usque ad a. 409), deinde in Palaestina sine munere publico vivens, exornaverat, probarent. Socios habuit *Coelestium*, Monachum, et *Julianum*, Episcopum Eclanensem. Eorum sententiae se primum opposuit Synodus Carthaginiensis a. 412 septem Coelestii theses improbans, quam deinde plures Synodi Africanae sequutae. Nec defuerunt defensores, adeoque *Johannes* Hierosol. Patriarcha

in Synodo Diospolitana a. 415 eam approbavit, et *Zosimus*, Ep. Romanus, album calculum ei adjecit, donec a. 418 errorem suum retractabat. Ex adversariis *Orosius*, *Hieronymus*, *Marius Mercator*, prae aliis autem *Augustinus* omni studio laborarunt, ut haec doctrina opprimeretur. Factum id in *Concilio plenario Carthag*. a. 418, cujus decreta *Sacro Rescripto* Honorii Imp. et Zosimi Epistola tractoria majus pondus habuerunt. Pelagiani frustra a Nestorio et Orientalibus patrocinium exspectarunt; sed Concil. Ephesinum a. 431 damnavit quoque, sed tanquam ὡς ἐν παρόδῳ, doctrinam, quae Orientalibus, ut omnis haec causa, parum arrisit.

Gerh. Jo. Vossii hist. de controversiis, quas Pelagius ejusque reliquiae moverunt. Libb. VII. Lugd. B. 1618. 4. Edit. auct. Amstel. 1655. 4. Cf. Vossii Opp. T. VI.
H. Norisii hist. Pelagiana. Patav. 1673. Cf. Norisii Opp. T. I. Veron. 1729.
J. Garnieri Dissertt. VII, quibus integra continetur Pelagian. historia — in edit. Marii Mercat. Opp. T. I. p. 113 seqq.
J. J. Hottinger fata doctrinae de praedestin. et gratia divina. 1727. 4. lib. II. c. 5.
G. Fr. Wiggers pragmat. Darstellung des Augustinismus u. Pelagianismus. 1821. 8. Ed. 2. 1833. 8.
Lentzen de Pelagianorum doctrinae principiis. 1833. 8.

§. 84.

Multo minus de *Secta Semi-Pelagianorum* cogitari potest. Legimus quidem: *Johannem Cassianum*, *Faustum Rhegiensem*, et nonnullos alios doctos viros, dictos esse principes et duces Semi-

Pelagianorum (quos veteres *Doctores Massilienses* dixerunt); sed hoc tantum de sententia dogmatica, cui addicti, valet. Pari modo *Praedestinatiani* vocati sunt strictiores defensores doctrinae de praedestinatione, de quibus in libro anonymo: *Praedestinatus*, saec. V scripto, exponitur. In Gallia pluribus doctoribus placuit via illa media, qua homo a gratia quidem divina pendere, sua tamen voluntate et propriis viribus uti creditur: et extra Galliam quoque fuerunt, qui adstipularentur. Sed *Prosper Aquitanus*, *Fulgentius Ruspensis* et *Caesarius Arelatensis* oppositam Augustini sententiam, quae in Synodo Arausiensi a. 529 confirmata, fortiter defendebant. Nihilominus Semipelagianismus semper habuit fautores, floruit inter Scholasticos, et postea non solum in decretis Concilii Tridentini, sed etiam in scriptis Synergistarum s. Majoristarum deprehenditur.

A. Thysii Comment. de Pelagianis et Semipelagianis. 1617. 4.

J. Fr. Buddeus de Pelagianismo in eccl. Rom. triumphante. Cf. Miscell. sacr. p. 8 seqq.

G. Fr. Wiggers de Joanne Cassiano, Massil., qui Semipelagianismi auctor vulgo perhibetur. P. I—III. 1824—1825. 4.

Joh. Geffken historia Semipelagianismi antiquissima. 1826. 4.

Praedestinatus. Edit. Sirmond. 1643. 8. V. Gallandi Bibl. Patr. T. X. p. 357 seqq.

Jac. Sirmond hist. Praedestinat. Par. 1643. Ed. 2. 1648. Cf. Sirmondi Opp. T. IV.

Gilb. Mauguin Vindic. praedestin. et gratiae. Par. 1650. 4. T. II. p. 443 seqq.

Aeg. Strauch de Praedestinatianis. 1658. 4.

Laur. Heerford de haeresi praedestinationis ab Augustino praeter opinionem infecta. 1733. 4.

J. C. de Lith Praedestinatianos quinto fuisse saeculo. 1737. 4.

§. 85.

Praeter eas, quas recensuimus, sectas et controversias generaliores et graviores, hoc tempus quoque protulit in utraque ecclesia multas alias minores, quae, graviori carentes momento atque objecto, nec diu durarunt, nec multos habuerunt asseclas. In hunc censum prae ceteris veniunt: 1) *Aëriani* in Ponto et Pamphilia. 2) *Angelici*, quorum Epiphanius, Augustinus et Conc. Laodic. (can. 35) facit mentionem. 3) *Audiani* s. Audaei (Audaeani) in Syria. 4) *Collyridiani* s. *Mariolatrae* in Syria. 5) *Hypsistarii* s. *Coelicolae* in Asia minori, quos Christianos fuisse multi VV. DD. negant. 6) *Messaliani* s. *Euchitae* in Syria. 7) *Priscillianistae* in Hispania et Italia. Tot autem fuisse causas controversas, nemo mirabitur, qui statum et conditionem hujus aevi accuratius cognoverit et saecula synodalia simul et saecula esse controversiarum.

Joach. Hildebrand discussio haereseos Aërii, quam Protestantibus Pontificii impingunt. 1656. 4.

Angelicorum familiam olim extitisse testantur Epiphan. haeres. LX. Opp. T. I. p. 505 et Augustin. de haeresibus c. 39. Cf. *Jo. Gerhard* Loc. theol. ed. Cotta. T. XI. p. 368.

J. J. Schroeder (J. G. Krafft) Dissertat. de haeresi Audianorum. 1716. 4.

J. Th. Wernsdorf de Collyridianorum Secta. 1745. 4.

Fr. Münter Comment. de Collyridianis fanat. saec. IV. Cf. Miscell. Havniens. T. II. fasc. I. 1821. 8.

C. Ullmann de Hypsistariis. 1823. 8.

Guil. Boehmer de Hypsistariis opinionibusque, quae super eos propositae sunt. 1824. 8. Ejusdem: Bemerkungen zu den von D. Ullmann u. mir aufgestellten Ansichten über den Ursprung u. Charakter der Hypsistarier. 1826. 8.

Euthymii Zigabeni victoria et triumphus de impia Messalianorum secta. Cf. *Jac. Tollii* Itiner. Ital. p. 106 seqq.

PERIODUS TERTIA.

A Gregorio M. (s. Muhammede) usque ad Carolum Magnum, a. 604—814.

Scriptores historiae Byzantinae: Procopius. Agathias. Nicephorus Callistus. Theophanes Confessor, al.

Anastasii Bibliothecarii liber pontificalis. Edit. Fabroti. Cf. Corp. hist. Byz. T. XIX. Ed. Fr. Blanchini. Rom. 1718—1735. T. I—IV. f.

Abulfedae Annales Moslemici. Ed. *Reiske* et *Adler*. T. I—V. 4.

Eutychii (*Said Ibn-Batrik*) Annales. Ed. Ed. Pococke. T. I. II.

Gregorii Turonensis historia eccl. Francorum. Libb. X. Cf. Script. rer. Gall. et Franc. T. II.

Bedae Venerabilis historia eccles. gentis Anglorum. Libb. V. Ed. Cantabrig. 1722. f.

Eginhardi vita Caroli M. Ed. Bredow. 1806. 8.

Hegewisch Geschichte der Regierung Karl's d. Gr. 1791. 8.

F. Rehm's Geschichte des Mittelalters. Th. I. 1821. 8.

G. J. Planck's Gesch. der chr. kirchl. Gesellschaftsverfassung. Th. II.

P. T. Hald historia ecclesiastica medii aevi synoptice enarrata. P. I. cont. hist. a. 604—858. Havniae 1832. 4.

Cap. I.

Fata ecclesiae externa. Propagatio religionis christianae et impedimenta.

§. 86.

In limine hujus aevi Duumviri conspiciuntur, qui, etsi patria, religione et consiliis prorsus diversi sibique oppositi, multum tamen inter se habent commune. Eodem tempore, quo *Gregorius Magnus* sedem suam Romanam et Pontificatum splendidiorem reddere et Hierarchiam universalem parare coepit, videmus *Muhammedem*, Prophetam Ismaeliticum, ex mercatore dux belli et novae religionis caput factum, novum condere regnum, quo saecularis et ecclesiastica s. spiritualis potestas conjuncta, quoque totius Orientis forma ac facies conversa, Occidentis etiam status immutatus est. In vita eorum plura occurrunt, quae comparationi inter utrumque instituendae haud incommode inserviunt.

Parallelismo personali inserviunt: aetas (a. 540—604. a. 569 [al. 571] — 632), vitae genus, itinera, studia, miracula, vaticinia, dignitas, et effectus.

§. 87.

Islamismus, cujus auctor Muhammed, inde a prima sua epocha, quae ab anno 622 incipit, religioni et ecclesiae christianae hostis esse coepit, quo atrociorem et perniciosiorem habuit nullum.

Tristissimus Imperii et ecclesiae orientalis status, calamitatibus et dissidiis externis atque internis turbatus, causam Islamismi et rapidissimos ejus progressus efficacius promovit, quam arma victricia Chalipharum. Sed habuit nova haec religio etiam aliquid, quod ipsam multitudini commendaret; et tolerantia, quam Muhammed primique ejus Successores (s. Chaliphae) in omnes alias religiones, quam maxime autem in Christianos exercerent, ex his haud paucos permovit, ut a religione christiana deficerent.

[1] *K. E. Oelsner's* Mohammed; Darstellung des Einflusses seiner Glaubenslehre auf die Völker des Mittelalters. Aus dem Französ. 1810. 8.

Th. Chr. Tychsen quatenus Muhammedes aliarum religionum sectatores toleraverit. Cf. Commentat. Soc. Reg. Goetting. T. XV. p. 152 seqq.

Amad. Wiessner der Muhammedanismus, Geschichte u. Lehren des Islam, nach dem Koran, der Sunna u. andern Quellen bearbeitet. Th. I. 1823. 8.

§. 88.

Saeculi VII decursu, victricibus armis Chalipharum Abubecrii, Omari, Othmani, Alii, Moawijae et Abdalmaleci, omnes in Asia et Africa provinciae administrationi et jurisdictioni Patriarcharum Orientalium subtractae sunt. Idem periculum ecclesiae occidentali imminebat, quum ineunte saeculo VIII Saraceni jam in eo essent, ut ex Hispania et Sicilia totam Europam invaderent et subigerent. Splendidissima autem, quam *Carolus Martellus* in proelio apud Pictavium a. 732 de Sara-

cenis reportavit, victoria, ecclesiam occidentalem a metu Saracenorum et Islamismi felicissime liberavit.

Ge Elmacini historia Saracenica. Edit. Erpen.
Sim. Ockley's Geschichte der Sarazenen. Aus dem Engl. übers. Th. I. II.
Fredegarii Chronicon. c. 32 seqq. post Gregor. Turon. hist. eccl. Francor.
Cardonne's Gesch. von Africa u. Spanien unter der Herrschaft d. Araber. Aus d. Franz. übers. Th. I.

§. 89.

Ut damnum ex Islamismi progressu ortum, vel praesens vel futurum, resarcirent, gubernatores ecclesiae occidentalis de remedio cogitarunt, quo id fieri et societas Christianorum augeri posset. Nullum autem efficacius visum, quam *Missiones* ad Gentiles et Judaeos religionis et ecclesiae propagandae causa, more Apostolorum et antiquae ecclesiae. Id negotii Clericis ad hanc rem idoneis, praecipue autem *Monachis*, quorum numerus inde a saec. IV valde auctus, demandatum est. Itaque prudenti consilio in ecclesia occidentali factum, ut Religiosi haberent provinciam, in qua sua exercitia spiritualia utiliter instituere possent, et ut Monasteria non solum ἀσκητήρια, sed etiam φροντιστήρια et Congregationes de propaganda fide ac pietate fierent. Eo nomine maxime inclaruit ordo Monachorum saec. VI a *Benedicto Nursiensi* institutus et in omnes fere Europae partes diffusus.

J. F. Frisch die gute Sache der ehemaligen Heidenbekehrungen in den mittlern Zeiten. 1776. 8.

Ph. Chr. Gratianus Vers. einer Gesch. über den Ursprung u. Fortgang des Christenth. in Europa. 1766—1773. Th. I. II. 8.

— — — Gesch. von der Pflanzung des Christenth. in den Staaten Europa's. 1778—1779. Th. I. II. 8.

Jo. Mabillon Annales Ordin. S. Benedicti. T. I—VI.

— — et *Luc. Dacherii* Acta S. Bened. saec. I—VI. Par. 1668—1701. f.

§. 90.

Ex hoc ordine jam fine saec. VI *Augustinus*, Abbas, una cum pluribus Monachis a Gregorio M. in Britanniam missus, ut Anglos et Saxones inde a medio saec. V ibi regnantes ad religionem chr. converteret. Fecit hoc Augustinus tanto successu, ut *Britanniarum Apostolus* diceretur. Paulo post autem ex ecclesia Britannica exiverunt multi viri pii ac probi, ad fidem christianam in Bataviam, Germaniam mediam, et regiones septentrionales inferendam. Laudantur inprimis *Columbanus*, *Gallus*, *Kilianus*, *Willibrordus*, et post illos *Winfridus* s. *Bonifacius*, qui Apostolus Germanorum (rectius Thuringorum), et *Ansgarius* (s. Anscharius), qui Apostolus Danorum et Suecorum dicti sunt.

De *Augustino*, Bened. Abbate, v. Bedae Ven. hist. eccl. gentis Anglorum. I. c. 23 seqq. II, c. 2—3.

S. Columbani vita in *Mabillon* Act. Sanct. ord. Bened. Saec. II. p. 5 seqq. Ejusd. Annales Bened. T. I. p. 210 seqq. Bedae Ven. hist. eccl. Angl. III. c. 4. V. c. 10.

Wilibaldi vita S. *Bonifacii* in Serrarii edit. Epistol. Bonif. 1629. 4. *J. S. Semler* (G. D. Hanisch) de

propagata per Bonifacium inter German. rel. christiana. 1770. 4. *J. F. Chr. Löffler's* Bonifacius, oder Feyer zum Andenken an die erste chr. Kirche in Thüringen. 1812. 8.

Vita *S. Anscharii*, auctore *Remberto.* Cf. *Langebeck* Scriptor. rer. Danic. T. I. 1772. f. p. 427 seqq. *Fr. Münter's* Kirchengesch. von Dänem. u. Norw. Th. I. 1823. p. 266 seqq. *Carsten Misegaes* Leben des St. Willehad's und St. Ansgar's. 1826. 8. *Adami Bremensis* hist. eccl. praesertim Bremensis etc. Edit. Lugd. B. 1595. 4.

§. 91.

Minus feliciter egerunt, qui inde a saeculo V et VI *Judaeos* ad ecclesiam christianam invitarent aut cogerent. Ipse Gregorius M. ardorem, quo multi Clerici et Monachi turbam Proselytorum compellere studerent, improbavit. Nihilominus semper fuerunt, qui illud: *Cogite intrare*, vel persuasione, vel vi vellent implere. Factum hoc in Oriente sub Imperatore Heraclio saec. VII., qui Judaeis Palaestinensibus non sine crudelitate fidem christianam obtrudere voluit. Eodem tempore Judaei in Hispania suae fidei inhaerentes ita vexati sunt, ut ad Saracenos confugere essent coacti.

Gregor. M. Epistol. lib. I. ep. 47. Nicephori Chron. Heraclii. c. 5. Eutychii Annal. T. II. p. 212. Concil. Tolet. IV. a. 633. c. 57—60. *Basnage* histoire des Juifs. Lib. VI. c. 21. Opp. T. IV. p. 1407 seqq.

Cap. II.

De statu et regimine ecclesiastico.

§. 92.

Gravissima hujus temporis causa est tristissima illa inter Episcopos Romanos et Constantinopolitanos de primatu exorta contentio. Quum Episcopus Constant. *Johannes Jejunator* a. 587 publica occasione titulum *Patriarchae oecumenici* s. generalis Patris in mundo sibi vindicasset, Pontifex Romanus, *Pelagius II.* publice hanc arrogantiam taxavit. Idem fecit ejus successor *Gregorius M.*, qui non modo eundem titulum, ab Imperatore Mauritio oblatum, deprecatus est, sed se in simplici titulo *Papae* et *Servi servorum Dei* acquiescere, declaravit: quae modestia, utrum sincera, an simulata fuerit, dubium est. Hoc certum, Episcopos Romanos nullum alium titulum gerere voluisse; non multum igitur refert, num, quae de *decreto Phocae* a. 606 traduntur, vera sint, an falsa.

Chr. M. Pfaff de titulo Patriarchae oecumenici pomo eridis inter Graecam et Latin. eccl. 1735. 4.
Ziegler's Gesch. der kirchl. Verfassungsformen. 1798. 8. p. 164 seqq. *Planck's* Gesch. d. christl. kirchl. Gesellsch. Th. I. p. 598 seqq.
J. M. Lorenz examen decreti imperatoris Phocae de primatu Rom. Pontificis. 1785. 4.

§. 93.

Ceterum paulo post status rerum ita erat comparatus, ut Pontifices Romani ab Imperatoribus

Orientalibus non multum haberent nec sperandum, nec timendum. Novus autem ipsis sol ortus in *Regno Francorum;* et ad hunc oculi Romanorum erant intenti. Majores domus et novi Dynastae Francorum, *Carolus Martellus* et *Pipinus Brevis*, erant, ad quorum nutum Gregorius III., Zacharias, Stephanus III. et IV. et Hadrianus I. sese composuerunt, quorumque imperium legitimum declararunt. Nec ingrati fuerunt Dynastae pro his officiis, sed jura episcopalia sedis Romanae auxerunt simulque territorium, quo Praesules Romani caruerant, addiderunt. Nam *donatione Pipini* a. 755 Exarchatus Ravennatensis et Pentapolis Longobardis armorum vi erepta, tanquam peculium sedis Apostolicae oblata est. Hanc donationem patris sui *Carolus Magnus*, qui a. 771 in toto regno Franciae solus sceptra tenuit, confirmavit et multis aliis beneficiis et commodis auxit. A. 800 d. 25. Dec. Leo III. Carolo M. in templo S. Petri coronam imposuit, eumque Imperatorem Romanum et Augustum salutavit. Ab illo die *Imperium Romanum in Occidente*, post 324 annos, novo splendore resuscitatum semper cum sede Romana conjunctum fuit.

Anastasii vit. Steph. p. 207 seqq. Annal. Metenses ad a. 755. p. 277. *Bianchini* Proleg. ad Anastas. de vit. Pontif. p. 55. *Muratori* Gesch. von Ital. Uebers. Th. IV. p. 349 seqq.

Cap. III.

De scriptoribus hujus Periodi.

§. 94.

Praesens tempus nec multos, nec excellentes protulit scriptores, ita ut cum divitiis litterariis, quibus Per. II. abundat, vix ac ne vix quidem comparari possit. In ecclesia Orientali controversiae Monophysiticae et Monotheleticae, foecundissima multarum ineptiarum et sterilium quaestionum mater, omne fere ingenium, eruditionem et litterarum studia suppresserant. Auxit apud Christianos litterarum detrimentum atque interitum Islamismus, novam linguam cum nova religione introducens, et loco scripturae sacrae novum revelationis codicem proponens. Apologetis quidem novam largamque praebuit materiam, ipsisque amplissimum aperuit campum; sed in libris apologeticis contra Islamismum scriptis mira ingenii inopia et perpetua deprehenditur jejunitas, ut vix in censum veniant. Unicus fere auctor inter coaevos suos eminentior est *Johannes Damascenus*, qui libros rhetoricos, apologeticos, polemicos et asceticos scripsit et cujus *Expositio fidei orthodoxae* in historia Theologiae dogmaticae principem obtinet locum et apud Graecos classicam fereque canonicam consequuta est auctoritatem.

Joannis Damasceni Opp. Edit. M. Le Quien. Par. 1712. Ven. 1748. T. I. II. f.

§. 95.

In ecclesia Occidentali *Gregorius Magnus* limen et extremus in agmine Patrum dici solet: quod quidem in eo verum, quod post illum nullum habemus, cujus scripta (inter quae, praeter homileticos, liturgicos, exegeticos et paraeneticos libros, Epistolae primum habent locum) tantae sint auctoritatis atque usus. Non ita autem intelligendum, ac si reliqui scriptores, quos non *Patres*, sed *Scriptores ecclesiasticos* vocare solent, ad unum omnes longe sint inferiores. Nam in his quoque sunt suas singulares dotes habentes, nec laude sua carentes. Ex horum numero sunt *Isidorus Hispalensis*, *Ildefonsus Toletanus*, *Beda Venerabilis* (auctor de historia ecclesiastica bene meritus), *Bonifacius*, *Alcuinus Flaccus*, *Paulus Diaconus* (s. Warnefried), aliique. Si vero terminum usque ad finem saec. IX extendere velimus (quod honore *Caroli M.* etiam scriptis praeclari licet), occurrunt nobis nomina *Eginhardi*, *Agobardi*, *Claudii Taurinensis*, *Walafridi Strabonis*, *Hincmari Rhemensis*, *Rabani Mauri* et aliorum virorum, qui et magistratu ecclesiastico, et scriptis de litteris bene meruerunt.

Gregorii M. Opp. Ed. Rom. 1588—1593. 1613. T. I—VI. f. Ed. Bened. Ven. 1768—1775. T. XVII. 4. Pauli et Joannis Diaconi vit. Gr. M. in Mabillon Act. Sanct. Ord. Bened. Saec. I. p. 385 seqq.

Isidori Hispalensis Opp. Par. 1601. Colon. 1617. Opusc. chronol. Edit. Chr. Fr. Roesler. 1803. Originum s. Etymol. libb. XX. Ed. Vulcanius. 1577. f. De eccles. officiis. Ed. Hittorp. 1568. 4. *Pseudo-Isidori Decretales.*

Ildefonsi Toletani Opusc. de virgin. S. Mariae; de ordin. bapt.; de viris illustr. in Bibl. Patr. Lugd. T. XII. Baluzii Misc. lib. VI. Fabricii Bibl. eccles.

Bedae Venerabilis Opp. Ed. Par. 1521. 1544. T. I—III. f. Ed. Basil. 1563. P. I—VIII. T. IV. f. rep. Colon. 1688. f.

St. Bonifacii Epistolae. Edit. Nic. Serrarius. 1629. 4. Ed. S. A. Würdtwein. 1789. f.

Flacci Alcuini Opp. Edit. Frobenius. 1777. T. I. II. f.

Pauli Diaconi s. Warnefridi Opusc. historica (de gestis Longobard.) in *Muratori* Script. rer. Ital. Vita Gregor. M. *Homiliarium*. Ed. Spir. 1482. f.

J. H. Sminckii Dissertat. de Eginhardo ejusque scriptis; in edit. vitae Caroli M. ab Eginhardo.

Agobardi Opp. Edit. St. Baluzius. 1666. T. I. II. 8. *C. B. Hundeshagen* de Agobardi Archiepisc. Lugdun. vita et scriptis. P. I. 1831. 8.

Claudii Taurin. Commentar. in Ep. ad Gal. Par. 1543. 8.; de cultu imaginum in Bibl. Patr. ed. Colon. T. IX. P. I. et II.

Walafridi Strabonis opusc. de exordiis et incrementis rer. eccles. in Bibl. Patr. M. Lugd. T. XV. p. 181 seqq. Cf. Canisii Lect. antiq. T. II. P. II. p. 174—274.

Hincmari Rhemensis Opp. Edit. Sirmond. Par. 1645. T. I. II. f. Cf. *Eccardi* Corp. hist. medii aevi. T. II. p. 375 seqq. et *G. F. Gess* Merkwürdigk. aus dem Leben u. Schriften Hincmar's. 1806. 8.

Rabani Mauri Opp. Edit. Colvenerius (Couvenier). Colon. 1627. T. I—VI. f.

§. 96.

Duo genera scriptorum hoc tempore in utraque ecclesia prae ceteris plausum tulerunt: I. *Collectiones sententiarum dogmaticarum ex scriptis Patrum.* Primus collector ejusmodi locorum communium *Isidorus Hispalensis*, et post eum *Johannes Damascenus*, quorum exemplum Latini pari-

ter ac Graeci sunt imitati. II. *Catenae Patrum* (*Ἐπιτομαὶ ἑρμηνειῶν*) s. commentarii continui et perpetui ex scriptis exegeticis priorum saeculorum compositi. *Procopius Gazaeus* et *Olympiodorus* primi fuerunt in hoc genere compilatores multosque habuerunt apud Graecos et Latinos successores. Non omne meritum ejusmodi collectionibus vel eam ob causam denegandum, quod ex libris deperditis excerpta contineant minime spernenda.

1) De *sententiis Patrum* et *Sententiariis* cf. *J. A. Cramer's* Forts. von Bossuet. Th. V. P. II. Th. VI. et *Chr. G. Flügge's* Gesch. d. theol. Wissensch. Th. II. p. 412 seqq. Th. III. p. 97 seqq. *Leontii Cypr.* Loci sub finem saec. VI. collecti nondum editi.

2) *Thom. Ittig* de bibliothecis et catenis Patrum. 1707. 8. *J. A. Noesselt* de catenis Patr. Graec. in N. T. observat. 1762. 4. Opusc. ad hist. eccl. Fasc. III. 1817. 8. p. 321 seqq.

Cap. IV.

De controversiis theologicis.

§. 97.

Controversia *Monotheletica*, saec. VII orta, cum Monophysitismo tam arcte est conjuncta, ut nil magis mirandum, quam quod non saec. V et VI simul exarserit. Attamen non prius occasio oblata, quam regnante *Heraclio* Imperatore (a. 611—641), qui, suadente *Paulo*, Armeniae Monophysiticae Patriarcha, et consentiente *Cyro*, Patr. Alexan-

drino, et *Sergio*, Patr. Constantinopolitano, concordiam et unionem inter Catholicos et Monophysitas conciliaturus, a. 638 Edictum sub titulo: *Ἔκθεσις* emisit, in quo confessum: in duabus Christi naturis, unam tantum voluntatem (ἓν θέλημα) atque efficaciam s. operationem (μίαν s. μόνην ἐνεργείαν) esse. Haec confessio, cui jam antea *Sophronius*, Monachus et deinde Patriarcha Hierosol. obloquutus, pluribus tanquam fidei Chalcedonensis violatio ita displicuit, ut undique turbae gravissimae moverentur. Ad illas supprimendas Imperator *Constans II.* a. 648 novo Edicto: *Τύπος* mandavit, ut omnes ab hac inutili controversia abstinerent et rem tam dubiam silentio premerent. Sed graviores ex hoc mandato enatae turbae, quarum praecipuus auctor et promotor *Martinus I.*, Episcopus Romanus, in Synodo Lateranensi I. (a. 449) unam operationem et edicta utriusque Imperatoris damnans. Postquam autem ab Impera tore castigatus et in captivitatem ductus esset, pax publica restituta, et causa controversa per triginta fere annos quievit. Denuo erumpens a. 680 a Concilio oecumen. VI (s. Trullano I.), sub Imp. Constantino Pogonato, in favorem Dyophysitismi Chalcedonensis composita est. Monotheletarum reliquiae in Syria, sub Arabum imperio, et in *Maronitarum* Secta remanserunt.

Nicephori Constant. Breviarium historiae. Edit. Petavius. 1616. 8.

Anastasii Biblioth. Collectanea de iis, quae spectant ad hist. Monothelitarum; in *Sirmondi* Opp. T. III.

Fr. Combefisii hist. haer. Monothel. ac vindiciae actorum VI. Synodi. Cf. Ejusd. Nov. Auctar. Patr. T. II. p. 3 seqq.

F. Nayron de origine et rel. Maronitarum. 1679.
J. E. Gerhard de ecclesia Maronitarum. 1668. 4.
Schnurrer de ecclesia Maronitica. 1810. 4.

§. 98.

Idem dogma de persona Christi in Hispania fine saec. VIII *Adoptianismum* excitavit. *Elipandus*, Archiepiscopus Toletanus, et *Felix*, Episcopus Urgellensis, docuerunt: Christum secundum naturam humanam non esse filium Dei naturalem, sed tantum *adoptivum;* et hunc usum loquendi probarunt multi doctores, non solum in Hispania (tunc temporis a Saracenis occupata), sed etiam in Gallia et Germania. Improbarunt autem, tanquam Nestorianismo faventem, *Hadrianus I.* Ep. Romanus et *Alcuinus*, qui ut Felicem corrigeret, jubente Carolo M., omnem adhibuit operam. Tandem, re a pluribus Synodis frustra tractata, in Concilio Francofurtano a. 694 Adoptianismus tanquam haeretica sententia damnatus sensim sensimque exspiravit, nonnulla in Liturgia Mozarabica et passim alibi relinquens vestigia.

Frobenii Dissert. de haeresi Elipandi et Felicis; cf. Alcuini Opp. ed. Froben. p. 923 seqq.
Jo. Trellund de Felicis et Elipandi haeresi, vulgo Adoptiana. 1699. 4.
Jac. Basnage hist. circa Felicianam haeresin; in *Canisii* Lect. antiq. T. II. P. I.
Walch historia Adoptianorum. 1755. 8.

§. 99.

Aliam prae se fert *concertatio de imaginibus* faciem, quae inde ab a. 726 per longum tempo-

ris intervallum universam ecclesiam, maxime vero Orientalem, commovit, et causa potius politica quam theologica esse coepit. Impulsum fecit Edictum a. 726 ab Imp. *Leone Isaurico* emissum, quo omnis imaginum cultus (εἰκονολατρεία) interdictus. Oblocutionibus *Germani*, Patr. Constant. et *Gregorii II.* et *III.* Epp. Romanorum, effectum est, ut Leo omnem omnino imaginum usum publicum interdiceret. Quae lex ab ejus successoribus Constantino Copronymo, Leone IV. s. Chazaro et Leone V. s. Armeno saepius repetita, ab una parte violentam et barbaricam εἰκονομαχίαν et εἰκονόκλασιν, ab altera autem coecam εἰκονολατρείαν protulit, et ecclesiam Graecam ad opposita et extrema proripuit. Nam postquam Concilium Constant. a. 754 imagines eorumque cultores damnasset, paulo post machinationibus *Irenes*, Imperatricis, et *Tarasii*, Patriarchae Const. effectum est, ut Concilium Nicaenum II. a. 787 (a Graecis Oecumenicum VII nuncupatum) hanc damnationem revocaret et imaginum cultum restitueret. Tandem post novas turbas a. 842 Iconolatria apud Graecos stabilita et festo annuo τῆς ὀρθοδοξίας solemnior facta est. In Occidente majori cum prudentia res peracta. Post Gregorios Hadrianus I. suscepit quidem imaginum defensionem, sed impedire non potuit, quo minus Concilium Francofurtanum a. 794 superstitiosum et impium imaginum cultum, contra quem ipse Carolus M. calamum strinxerat, damnaret et sapienter de omni hac causa praescriberet.

M. H. Goldasti imperialia decreta de cultu imaginum in utroque Imperio promulgata collecta et illustrata. 1608. 8.

F. C. Schlosser's Geschichte der bilderstürmenden Kaiser des oström. Reichs. 1812. 8.

Joh. Damasceni λόγοι ἀπολογητικοὶ πρὸς τοὺς διαβάλλοντας τὰς ἁγίας εἰκόνας. Opp. T. I. p. 305 seqq.

Caroli M. de impio imaginum cultu. Ed. Par. 1549. 12. Ed. *Chr. A. Heumann.* 1731. 8.

Jo. Dallaei de imaginibus. 1642. 8.

Lud. Maimbourg histoire de l'hérésie des Iconoclastes. 1679—1683. T. I. II. 12.

Fr. Spanhemii hist. imaginum restituta. 1686. 8.

J. Fr. Buddei oratio de festo Orthodoxiae in Eccl. Gr. celebrari solito. 1726. 4.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

PARS SECUNDA.

HISTORIA MEDII AEVI A CAROLO M. USQUE AD LUTHERUM.

PERIODUS PRIMA.

A Carolo Magno usque ad Gregorium VII. a. 814—1073.

Luitprandi historia rerum in Europa suo tempore (saec. X) gestarum; libb. VI. in *Muratori* Scriptor. rer. Ital. T. II. P. I.

Dithmari Martisburg. Chronicon. Edit. J. A. Wagner. 1807. 4. Vers. germ. Ursini. 1790. 8.

Hermanni Contracti Chronicon de VI mundi aetatibus in *Pistorii* Script. rer. Germ. T. I.

Sigeberti Gemblacensis Chronographia ab a. 381 usque ad a. 1112. Edit. Aub. Miraei. 1608. Cf. Pistorii Script. rer. Germ. T. I.

Georgii Cedreni Annales s. Compend. historiar. Ed. Par. 1647. f.

Joh. Zonarae Annales. Ed. Car. du Cange. 1686. f.

D. H. Hegewisch Apologie des Mittelalters. Ejusd. N. Sammlung kleiner histor. Schriften. 1809. 8.

K. D. Hüllmann's Gesch. des Ursprungs der Stände Deutschlands. 1806—1808. Th. I—III.

— — — Ursprünge der Kirchenverfassung des Mittelalters. 1831. 8.

---

§. 100.

A *Carolo Magno*, qui ab a. 771 ad a. 814 regnavit cujusque regnum ab Ibero in Hispania usque ad Arrabonem in Hungaria extendebatur, tum in rebus politicis, tum ecclesiasticis nova incipit aera. Si vero ea, quae e Monarchia Carolingica in ecclesiam occidentalem redundarunt, brevi summa comprehendere velimus, haec fere sunt: I. Quod Carolus populos devictos, inprimis Saxones, ad religionem christianam converteret, non minus ex causis politicis, quam religiosis fecisse putandus est. Utcunque autem est, certe illa propagatio christianismi multum profuit et veritatis et virtutis, et pietatis studio. II. Neque minus profuit et generi humano, et religioni et ecclesiae chr. liberalissima litterarum artiumque promotione, qua ipse splendido suo exemplo praeivit, et in qua multos viros praeclaros, inter hos potissimum *Alcuinum*, *Paulum Diaconum*, *Eginhardum* aliosque, socios habuit atque adjutores. III. Quod *Liturgiam Romanam* introduxit, non solum ecclesiae Romanae, sed etiam Gallicae et Germanicae commoda attulit, idque eo magis, quum *cantum sacrum* et *institutionem homileticam* emendaret et sublevaret. IV. Episcoporum dignitatem, libertatem atque auctoritatem auxit, quum ipsis inter Ordines et Status Regni locum assignaret, eosque Senatores Regni crearet, et Synodos ecclesiasticas cum Comitiis Regni conjungeret. V. De disciplina eccl., ut ejus *Capitularia* testantur, bene meruit, eo quod visitationes ordinabat, depravatos Clericorum et Monachorum mores corrigebat,

legibusque variis pietati et bonis moribus prospiciebat.

Monachi Sangallensis de gestis Caroli M. libb. II. in *Canisii* Lection. antiq. T. II. P. III. p. 53 seqq.

J. de Launoi (Jo. Launojus) de scholis celebr. a Carolo M. seu post eundem Carolum per Occidentem instauratis. Opp. T. IV. P. I. Ed. J. A. Fabricii. 1717. 8.

D. H. Hegewisch Gesch. der Regierung K. Karl's d. Gr. 1791. 8.

— — — Gesch. d. Fränk. Monarchie vom Tode Karl's des Gr. bis zum Abgange der Karolinger. 1779. 8.

§. 101.

Carolus M. successorem habuit *Ludovicum Pium*, qui, etsi virtutibus paternis caruit, statum tamen ecclesiasticum a patre ordinatum conservavit et in nonnullis partibus feliciter auxit. Sed divisione Regni per pactum Vereduniense (a. 843) facta vastum hoc et splendidum regnum corruere coepit; idque sedi Romanae, quae sub ipso Ludovico Pio parum auctoritatis habuit, in maximum contigit commodum. In Imperio Germanico fuerunt quidem Imperatores et Reges, quales *Ottones*, qui libertatem ecclesiae adversus usurpationes Romanas mascule et feliciter defenderent. Ast inter factiones et turbas, quibus, Romanis artificiis, Germania misere erat lacerata, in hoc quoque regno tiara Romana praevaluit.

J. St. Pütter de instauratione Imperii Romani sub Carolo M. et Ottonibus, ejusque effectibus. Progr. I—X. Goetting. 1766—1780. 4.

Nithard de dissensionibus filiorum Ludovici Pii. libb. IV.

Agobardi Apologia pro filiis Ludovici Imp. adversus patrem.

Woltmann's Gesch. der Deutschen in der Sächsischen Periode. Th. I. 1793. 8.

§. 102.

Inter sexaginta Episcopos, qui hoc tempore sedem Romanam occuparunt, multi omnino sunt, quorum nomen nullam habet memoriam. Sed sunt quoque, qui fortitudinem et in rebus dubiis et desperatis miram constantiam ostenderunt, vel aliis virtutibus de ecclesia bene meruerunt. Et his *Nicolaus I.*, *Johannes VIII.*, *Leo IX.*, *Victor II.*, *Nicolaus II.* et nonnulli alii sunt annumerandi. Prorsus autem dissimiles *Paschalis*, *Sergius III.*, *Johannes X.* aliique his similes, qui vel propter artes dolosas, vel propter scelera atrociora in historia male audiunt. Nullo autem tempore tot factiones, pugnae et machinationes propter cathedram Petri, quam saeculo X., ubi Principes, Comites et Nobiles Italiae omnibus viribus ad eam occupandam niterentur. Saeculo IX. *foeminam* eam conscendisse, saepius dictum et a multis creditum; omnes tamen, qui crisin adhibere possunt, in eo consentiunt, traditiones de *Johanna Papissa* inter fabulas esse referendas.

Nehr's Gesch. des Papstthum's. Th. I.

Spittler's Gesch. d. Papstth. herausg. von *Gurlitt* u. *Paulus*. 1826. 8.

Val. Loescher's Historie des Röm. Hurenregiments. 1707. 4. Ed. 2. 1725. 4.

Car. Blasci Diatribe de Johanna Papissa s. de ejus fabulae origine. 1779. 8. Scripta *Blondelli*, *Serarii*, *Coleri*, *Heumanni*, *Winkoppii*, *Gableri* al.

§. 103.

Qui principia hierarchica et rationes politicas Romanorum Pontificum accuratius examinaverit, has potissimum esse intelliget: I. Libertatis studium, quo suae potestatis esse, seque ab omni auctoritate et jurisdictione saeculari, etiam Imperatoria, eximere voluerunt. II. Constans et perpetua voluntas, et conatus indefessi, ad quaevis negotia publica concurrendi, omnibus causis politicis sese immiscendi, et Reges Principesque Europae in suas partes trahendi, eosque auctoritati Apostolicae sedis subjiciendi. III. Cupiditas possessiones territoriales augendi et provincias acquirendi, eo consilio, ut inter Principes saeculares numerum et locum obtineant. IV. Subjectio et subordinatio omnium Episcoporum, maxime eorum in Gallia et Germania, qui independentes esse vellent. V. Patrocinium et tutela Ordinum Religiosorum, ut clientes et servos haberent devotissimos atque addictissimos. VI. Cura pro fide propaganda, ut cum ecclesia simul suam extenderent potestatem. VII. Privilegium, quo Laicos ab electione Clericorum atque Episcoporum excluderent nexumque inter ecclesiam et imperium civile solverent. VIII. Ea Romanae ecclesiae constitutio atque administratio, ut omnia certo ac perpetuo ordine et uno quasi tenore fieri possent. Inter plura ejusmodi instituta eminet *Collegium Cardinalium* anno 1059 instauratum et non solum electioni Pontificis, sed etiam officiis Concilii perpetui et Senatus ecclesiastici supremi inserviens.

G. G. Keuffel historia Pontificatus Romani. 1741. 8.
E. S. Cyprian's überzeugende Belehrung vom Ursprung u. Wachsthum des Papstthums. Ed. VI. 1769. 8.
L. Maimbourg traité historique de l'etablissement et des prérogatives de l'Eglise de Rome et de ses Évéques. 1685. 12.
Vertot Origine de la grandeur de la cour de Rome. 1737. 12.
Muratori de Cardinalium institutione, in Antiq. Ital. med. aevi. T. V. p. 152 seqq.
Aubery histoire generale des Cardinaux. 1642—1649. T. I—V. 4.
J. Fr. Buddeus de origine Cardinalitiae dignitatis. 1693. 4.

§. 104.

Inter varia subsidia, quibus ad augendam suam potestatem et superioritatem Pontifices Romani utebantur, nullum efficacius fuisse videtur, quam *Decretales Epistolae*, quae data opera id potissimum demonstrant: Romanam Ecclesiam esse fundamentum et formam omnium ecclesiarum, et Pontificem Romanum universalis Ecclesiae Episcopum et Primatem, a cujus auctoritate totius ecclesiae legislatio, gubernatio et administratio pendeat. Sub falso *Isidori Hispalensis* nomine prodiit suspectissima ista collectio saeculo IX in Germania, et in ecclesia Moguntina primos habuit procuratores. Sunt tamen, qui originem in saeculo VIII, et patriam nec in Germania, nec in Hispania, sed in Italia quaerant. Nunc quidem fere omnes VV. DD., non exceptis doctissimis ecclesiae catholicae Theologis et Historicis, famosissimi hujus libri farraginem habent spuriam; sed saec. IX et X vel illi Episcopi, qui argumentum et auctoritatem

Decretalium impugnarunt, de authentia non dubitarunt. Itaque, factum est, ut paulo post, paucissimis contradicentibus, vim legis universalis obtinerent et pars potior Juris canonici fierent.

Fr. Turriani pro canonicis Apost. et Epist. decret. Pontif. Apost. libb. V. 1573. 4.

Dav. Blondelli Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulatus. 1628. 4.

C. Blasci Comment. de Collect. Canon. Isidori Mercat. in *Gallandi* sylloge dissert. de vet. canonum collectionibus. T. II. ed. Mogunt. 1790.

Pertsch Historie des canon. Rechts. p. 254 seqq.

Spittler's Gesch. des canon. Rechts bis auf die Zeiten des falschen Isidorus. 1778. 8. Cf. Sämmtl. Werke Th. I. 1827. 8.

J. A. Theiner de Pseudo-Isidoriana canonum collectione. 1827. 8.

F. H. Knust de fontibus et consilio Pseudo-Isidorianae collectionis. 1832. 4.

§. 105.

Deerat exemplum, quod sequi, et norma, ad quam sese componere possent Episcopi Romani. Utrumque ipsis datum a *Gregorio VII*, qui a. 1073 cathedram Petri conscendit, postquam sub nomine *Hildebrandi* diu Romae, non Papa, sed Dominus Papae (ut Damianus loquitur) fuerat. Duodecim annis admirabili ingenio, strenuitate, constantia atque audacia Pontificatum gessit et res gravissimas confecit. In his prae ceteris sunt recensendae: I. Leges adversus *Simoniam* et *Simoniacos*. II. Severitas, qua sacerdotibus *caelibatum* praescripsit eorumque matrimonia solvit. III. Rigor eximius, quo *jus investiturae* episcopo-

rum et dignitatum ecclesiasticarum, contra Imperatorem *Henricum IV* aliosque principes, vindicavit. IV. Novae acquisitiones et contributiones, quibus territorium et reditus sedis Apostolicae auxit. V. Austeritas, qua adversus *Berengarium* aliosque dissentientes in rebus dogmaticis et liturgicis usus est. Normam autem et legem hierarchicam, quam successoribus praescripsit, continent ejus *Dictatus*, s. XXVII Theses de summa Pontificis Romani potestate. Num Gregorius ipse, an Anonymus post illum, scripserit, a Catholicis adeo multis in dubium vocatum: utcunque autem est, ejus genium spirant ejusque et illius saeculi gerunt colorem.

Gatterer Memoria saeculi Hildebrandini. 1782. 4.
(*Jos. Milbiller's*) pragmatische Gesch. des Hildebrandismus. 1787. Th. I. II. 8.
J. Chr. Dittmari vita Gregorii VII. 1710. 8.
Gaab's Apologie Papst Gregor's VII. 1792. 8.
Joh. Voigt's Hildebrand als Papst Gregor VII. aus den Quellen dargestellt. 1815. 8.

§. 106.

Praesens tempus duas tantum fovit controversias theologicas. I. Doctrina *de praedestinatione* a *Godeschalco* (s. Gotteschalco) Monacho crassiori et imprudentiori modo fuit exposita, ut, quamvis Augustini vestigia sequi vellet, sententia tamen de praedestinatione ad peccatum et damnationem aeternam displiceret et indignationem moveret. A pluribus igitur Synodis in Germania et Gallia a *Rabano Mauro* et *Hincmaro Rhemensi* a. 848. 849. 853 et 859 convocatis tanquam impia im-

probata. Non defuerunt quidem defensores, inter quos *Remigius Lugdunensis* praecipuus; sed nihil effecerunt, quum Hincmarus causam hanc simul disciplinarem (ob inobedientiam Monasticam Godeschalci) declararet ideoque et intercessionem Nicolai I. pro Godeschalco, viginti annis in carcere detento et violenter tractato, non admittere vellet. II. Majores gravioresque motus excitavit doctrina *de praesentia Christi in sacra coena*, quam *Paschasius Radbertus*, in libro a. 831 de corpore et sanguine Domini scripto, ita exornavit, ut inde vera et perfecta *Transsubstantiatio* posset derivari. Impugnarunt hanc sententiam *Rabanus Maurus*, *Ratramnus*, *Johannes Scotus Erigena* aliique contra defensores *Hincmarum Rhemensem*, *Haymonem Halberstadiensem* aliosque, qui eo facilius victoriam reportarunt, quum huic aevo miraculosa magis arrideret quam symbolica dogmatis interpretatio. Ex eadem quoque ratione damnatus est *Berengarius Turonensis*, quum inde ab a. 1050 sententiam Joh. Scoti non sine plausu repetisset, non solum a *Lanfranco*, sed etiam a Synodis Romanis et Vercellensibus, quarum decreta Gregorius VII, quamvis Berengario faveret, confirmare sui officii esse ratus est.

I. *Jac. Usserii* Godeschalci et praedestinatianae controversiae historia. 1631. 4. Ed. 2. 1662. 8.
Lud. Cellotii historia Gottesschalci Praedestinatiani. 1655. f.
U. G. Siber historia Gottesschalcorum. 1712. 4.
II. *Lessing's* Berengarius Turonensis. 1770. 4.
C. F. Staeudlin libri inediti Berengarii adversus Lanfrancum. P. I—IV. 1815—1825. 4.
Bernaldi (al. Bertholdi) de Berengarii damnatione multiplici, in *Mansi* Coll. Conc. T. XIX.

Mabillon de multiplici Ber. damnatione, fidei professione et relapsu, deque ejus poenitentia. Cf. Analet. Vet. T. II. p. 477 seqq.
N. Dassovii de haeresi Berengariana.

PERIODUS SECUNDA.

A Gregorio VII. usque ad Lutherum.
a. 1073—1517.

Oderici Vitalis hist. eccl. libb. XIII. in *Du Chesne* Script. Norman. 1619. f. p. 319 seqq.
Ptolemaei Lucensis hist. eccl. libb. XIV. usque ad a. 1294. in *Muratori* Script. rer. Ital. T. XI. p. 741 seqq.
Chronicorum Mariani Scoti, Martini Poloni, Alberici, Vincentii Bellovacensis, Alberti Stadensis, aliorumque collectiones in *J. G. Eccardi* Corp. scriptor. medii aevi. T. I. *Chr. Urstisii* Hist. Germ. T. I. *Ussermanni* Monum. rer. Allemann. al.
Ge. Pachymeres de rebus Constantinopolit. T. I. II. Ed. P. Possini. 1666—1669.
Fr. v. Raumer's Geschichte der Hohenstaufen und ihrer Zeit. Th. I—VI. 1823 seqq.

---

§. 107.

In tanta rerum quinque saeculis gestarum copia, varietate et gravitate, nil difficilius esse videtur, quam ea notare, quae prae ceteris sint commemoranda. Quum autem in ejusmodi commemoratione nil fluctuandum, sed aliquid certi sit finiendum, consentientibus, ut speramus, lectoribus, haec fere sunt Memorabilia ecclesiastica, ad quae potissimum attendendum esse videtur: I. *Hierar-*

chia Romana, quae hoc tempore ad summum fastigium emersa jam mole sua et immodico superioritatis abusu ruere coepit. II. *Ordines Equestres et Religiosi* magno numero ad adjutorium Sedis Romanae creati atque instituti. III. *Expeditiones cruciatae*, quibus provinciae ecclesiae occidentalis auctae, et religionis, morum et litterarum status vario modo immutatus. IV. *Theologia scholastica*, quae antiquam Graecorum Philosophiam, et quidem Aristotelicam, revocavit novoque modo secum junxit. V. *Theologia mystica*, quae subtilitatibus et sterilitatibus Scholasticorum opposita, cum pietate superstitionem promovit. VI. *Eventus et viri insigniores*, quibus melior religionis, ecclesiae et litterarum status in Germania pluribusque Europae partibus praeparatus et saec. XVI adductus est.

Alii VV. DD. praeferunt, hoc temporis spatium ita distinguere: 1) Periodus a Gregorio VII. usque ad Pontifices Avenionenses a. 1305. 2) Per. a Pontificibus Avenionensibus usque ad Lutherum. Ab aliis et haec periodus in duas partes dividitur, quarum medium a. 1409 (Concilium Pisanum) efficit. Consilium tamen hujus libelli combinationem potius, quam disjunctionem temporis suadere et postulare videbatur.

§. 108.

Ex numero Pontificum Romanorum, qui ad exemplum Gregorii VII Pontificatum suum fortiter et feliciter gesserunt, hi fere recensendi sunt: I. *Urbanus II.* sub cujus auspiciis prima expeditio cruciata (a. 1095) inchoata et paulo post (a. 1099)

novum Hierosolymitanum Regnum inauguratum est. II. *Hadrianus IV.* ab a. 1154—1159 seditionem ab *Arnoldo Brixiensi*, non minori audacia quam successu, excitatam fortiter et violenter supprimens et adversus Fridericum I. Imperatorem superbas atque arrogantes phrases proferens. III. *Innocentius III.*, qui inde ab a. 1198—1216 ultimum vestigium et residuum Jurisdictionis Imperialis delevit, excommunicatione et interdicto reges, principes et populos terruit et vexavit, expeditiones cruciatas adversus Haereticos armavit, variisque et novis institutionibus potestatem papalem ad summum culmen evexit.

I. Vita Urbani II. a *Pandulpho Pis.* in *Muratori* Script. rer. Ital. T. II. P. I.; a *Ruinarto* in *Mabillon* Ouvrages posth. T. III. 1724. 4. Epistolae Urbani in *Mansi* Coll. Conc. T. XX. p. 643 seqq.

II. Vita Hadriani IV. in *Muratori* Script. rer. Ital. T. III. P. I. p. 441 seqq. *Helmoldi* Chronic. Slavor. lib. 1. p. 178.

III. Gesta Innocentii III. in *Muratori* Script. rer. Ital. T. III. P. I. p. 486 seqq. T. VII. p. 963 seqq. et *de Bréquigny* et *la Porte du Theil* Diplomata etc. T. I. p. 1 seqq. *J. de Lannes* histoire du Pontificat du Pape Innoc. III. 1741. 12. Epistolarum Innoc. III. libri XIX. Ed. Baluzius. 1682. T. I. II. f. Ed. de Brequigny et du Theil. P. II. T. I. II. 1791. f.

§. 109.

Superarunt aliquatenus Innocentium ejus successores *Gregorius IX* et *Bonifacius VIII*, fastu certe et arrogantia adversus Imperatores, Reges et Principes; sed insolentia ista atque impudentia effecerunt, ut odium commune contra usur-

pationes Romanas accenderetur [1]). In Gallia Rex *Philippus Pulcher* exemplum dedit, quo Curia Romana summopere est adflicta. A *Clemente V* a. **1309** sedes Romana *Avenionem* translata, ubi per LXX fere annos, quos *Exilium Babylonicum Paparum* vocare solent, Pontifices Gallicani sederunt [2]). *Gregorius XI* et Romae et Avenione sedens, et a. **1378** moriens auctor fit *Schismatis magni et belli papalis*, quo usque ad a. **1414** tam misere scissa et lacerata est ecclesia et praejudicium de infallibilitate extinctum [3]). Quod coronam, adeoque duplicem et triplicem sibi imposuerunt Pontifices (id quod de Damaso II, Bonifacio VIII, Urbano V [vel VI], Johanne XXII et Paulo II. traditum), arrogantiae potius, quam potestatis signum, plus detrimenti quam utilitatis attulit.

1) De *Gregorii IX.* Pontificatu cf. *Baluzii* Miscell. lib. I. p. 446 seqq. *Hahnii* Collect. monument. T. I. p. 209 seqq. *Fr. v. Raumer's* Gesch. der Hohenstaufen. Th. III. p. 311 seqq. Decretalium Gregorii IX. Papae compilatio, auctore Raimund. de Pennaforte. Ed. Mogunt. 1473. f.

De rebus gestis *Bonifacii VIII.* cf. Ptolemaei Luc. hist. eccl. lib. XXIV. c. 31—36. Muratori Script. rer. Ital. T. XI. et T. III. P. I. p. 670. *P. du Puy* histoire du differend de Philippe le bel et de Boniface VIII. 1655. 8.

2) Vitae Paparum Avenionensium. Ed. Baluzius. Par. 1693. T. I. II. Etiam gallice: Les vies des Papes d'Avignon. 1693. 4. Septemviri Avenionenses fuerunt: *Clemens V.*, *Johannes XXII.*, *Benedictus XII.*, *Clemens VI.*, *Innocentius VI.*, *Urbanus V.*, *Gregorius XI.*

3) *Theodor. de Niem* historia de schismate sui temporis gravissimo inter Papas et Antipapas. Norimb. 1532. 8. Argent. 1608. 1629. 8. *Du-Puy* histoire

du Schisme. Versio: Gesch. des abendländ. Kirchenschisma. 1792. 8. *Maimbourg* hist. du grand Schisme d'Occident. 1678. 4. Cf. Thesaur. nov. Anecdot. Ed. *Martene* et *Durand.* T. II. p. 1073 seqq. *D'Achery* Spicil. T. I. p. 763 seqq.

§. 110.

Rebus ecclesiasticis ita perturbatis *Concilium Pisanum* a. 1409, tanquam oecumenicum, convocatum non solum, suasore *Johanne Gersono*, judicem supremum sese gessit, quum duos Pontifices deponeret, tertiumque eligeret et confirmaret, sed etiam *reformationem ecclesiae in capite et membris* decerneret. Pisana decreta repetita sunt in *Concilio Constantiensi* a. 1414—1418 et *Basileensi* a. 1431—1443, a quibus conclusum: *quod Concilium sit supra Papam*, tanquam lex perpetuo valitura promulgatum est. Sed paucis annis praeterlapsis astutiis et artificiis *Martini IV* et *Eugenii IV* effectum est, ut, neglectis et spretis Conciliorum decretis, cuncta fere in pristinum statum redirent, excepta opinione publica de sanctitate Pontificia, quae, semel imminuta et vita flagitiosa *Alexandri VI* et temeritate *Julii II.*, qui dux militum magis, quam caput ecclesiae esse voluit, graviter violata non in integrum restitui poterat. Itaque factum est, ut *Reformatio* a Conciliis promissa et inchoata, sed non ad finem perducta, commune omnium esset desiderium, et tandem in Germania, favente divina providentia, in vitam vocaretur.

Acta Concilii Pisani. Ed. Par. 1612. 4. *Mansi* Coll. Conc. T. XXVII. Suppl. T. III. *Jac. Lenfant* hist.

du Conc. de Pise, et de ce qui s'est passé de plus memorable depuis ce Concile jusqu'au Conc. de Constance. 1724. T. I. II. 4.

Acta Concil. Constant. (Ed. H. v. d. Hardt. Voll. VI. Mansi T. XXVII. XXVIII.) Sess. IV. V. *Casp. Royko's* Gesch. der grossen u. allgem. Kirchenversamml. zu Costnitz. Th. I—IV. ed. 2. 1796. 8.

Acta Concil. Basil. (Mansi. Suppl. T. IV—V. Harduin. T. VIII.) Sess. II. VIII—XIII. *Aeneae Sylvii* Comment. hist. libb. III. de Concil. Basil. Colon. 1535. Francof. 1791. 8. *J. Chr. Wibel* Docum. hist. Conc. Bas. illustr. P. I—V. 1753—1754.

§. 111.

Ordines Religiosi, olim ad pietatis et litterarum studium destinati, jam dudum a primitiva institutione degenerati a potiori parte servitio operis operati et Curiae Romanae erant addicti. Ex horum numero erant: I. *Carthusiani*, strictissimae observantiae inter omnes Monachos, a *Brunone* Coloniensi, in Gallia a. 1086 instituti. II. *Fratres misericordes S. Antonii* a. 1095 a *Gastone*, equite in Delphinatu Galliae, congregati. III. *Cistertienses*, ab oppidulo Burgundico *Cistertium* (Citeaux)nomen habentes, a *Roberto*, Abbate Molismensi, a. 1098 ad regulam S. Benedicti formati et a *S. Bernhardo* reformati et aucti. IV. *Praemonstratenses*, qui et Canonici regulares S. Augustini nominantur, *Norberto* (postea Episcopo Magdeburgico) a. 1122 originem debent. V. *Franciscani*, s. *Minores* (Minoritae), *Fratres Seraphici*, *Spirituales*, *Cordelitae* (s. Cordigeri, Cordeliers), *Cappucini*, *Mendicantes*, *Pauperes*, et aliis nominibus, pro diversitate Congregationum,

dicti, *Franciscum Assisiatem* Patrem (a. **1210**) habent et a. **1223** confirmati sunt. VI. *Dominicani* ab Hispano *Dominico de Guzmann* nomen habent, qui a. **1215** Tolosatii societatem congregavit, quae mox numero alias superavit, et titulo *Fratrum Praedicantium* inclaruit, et ex qua *Officium Inquisitionis* ortum. VII. *Carmelitae*, s. Fratres de monte Carmelo, Eliam Prophetam conditorem gloriantur, sed ante a. **1224** et **1238** in Europa nondum noti, quorum pars *Calceati*, pars autem *Discalceati* vocatur. VIII. *Eremitae S. Augustini* a *Guilelmo Parisiensi* instituti et a. **1229** a Gregorio IX. confirmati, ex quorum numero *Martinus Lutherus* fuit. IX. Sunt praeterea multae aliae Monachorum cohortes, e. gr. *Servitae*, *Humiliati*, *Fratricelli*, *Flagellantes* etc. X. Iisdem denique saeculis *Monialium* s. *Sanctimonialium Ordines* mirum in modum aucti atque in abusum conversi, ita ut in hac quoque parte, quam necessaria esset status ecclesiastici emendatio et correctio, appareat.

Luc. Holstenii Codex regularum monast. et canon. Rom. 1661. T. I—III. 4. Edit. Aug. Vindel. 1759. T. I—VI. f.

A. D. Alteserrae Asceticōn s. originum rei monasticae libb. X. Par. 1674. 4. Edit. C. F. Glück. Hal. 1782. 8.

Hermant histoire de l'etablissement des ordres religieux et des congregations regulieres et seculieres de l'eglise. 1697. 8. Ed. 2. 1710. T. I—IV. 8.

Hippol. Helyot hist. des ordres monastiques religieux et militaires etc. Par. 1714—1719. T. I—VIII. 4. Vers. germ. 1753. VIII Vol. 4.

(*L. G. Crome's*) pragmat. Gesch. der vornehmsten Mönchsorden. 1774—1788. T. I—X. 8.

§. 112.

Ordines Equestres, quorum origo in expeditionibus cruciatis quaerenda, consilio quidem religioso (ad curam aegrotorum et vulneratorum) instituti, procedente tamen tempore causis politicis inservire coeperunt. Non ab omni parte laudandi nihilominus, liberaliori animo insignes et jugi, tam hierarchici, quam politici, impatientes, de re publica, ecclesia, litteris, et artibus bene meruerunt. Plures eorum ex saeculo XII et XIII paulo post interierunt; tres autem diutius perdurarunt magnamque consequuti sunt famam. I. *Equites S. Johannis* (Ordo Johannitarum) s. *Hospitalarii* in Palaestina a. 1099 et 1118 collecti, deinde terra sancta expulsi *Rhodiorum* et *Melitensium* nomine clari. II. *Templarii* auctores habent *Hugonem de Paganis* et *Gaufridum de S. Ademaro*, regulam emendatiorem *S. Bernhardo* et confirmationem apostolicam Honorio II. a. 1228 debent. Inde ab a. 1291 Cyprum insulam, tanquam regnum, tenentes, in praecipuis Europae terris magnas divitias possidentes, et de fide politica, morali et religiosa suspecti, a Rege Galliae Philippo Pulchro et a Pontifice Bonifacio VIII. et Clemente V. inde ab a. 1307 accusati, a. 1312 decreto Conc. Viennensis condemnati, non sine violentia et crudelitate sunt oppressi atque exstirpati. De eorum culpa ad hunc usque diem a VV. DD. in utramque partem disputatur. III. *Equites Teutonici*, saepius *Mariani*, et *Crucigeri* dicti, ex curatoribus aegrotorum a. 1190 equites facti, patrocinio Friderici II. Imp. et Honorii III. ornati

a. 1226 in Borussiam translati non solum istam provinciam, sed etiam in aliis terris magnas divitias sibi acquisiverunt et inter principes et ordines Imperii Germanici locum obtinuerunt.

I. Histoire de trois Ordres militaires. Par. 1725. 12. (*Vertot*) histoire des Chevaliers, Hospitaliers de S. Jean de Jerusalem, appellés depuis les Chevaliers de Rhodes et aujourd'hui les Chev. de Malte. Par. 1726. T. I—IV. 4. *J. C. Becmanni* Beschreibung des ritterlichen Johanniter-Ordens, mit Zusätzen von *J. C. Dithmar*. 1726. 4.

II. *Vinc. Gürtleri* historia Templariorum. 1703. 8. Histoire critique et apologetique des Chevaliers du Temple de Jerusalem, dits Templiers. Par. 1789. T. I. II. 4. *C. G. Anton's* Vers. einer Gesch. des Tempelherren-Ordens. 1781—1782. Th. I. II. 8. *Moldenhauer's* Process gegen den Orden der Tempelherren. 1792. 8. *Fr. Münter's* Statutenbuch des Ordens d. T. 1794. 8. *Jos. v. Hammer* Mysterium Baphometis revelatum. 1818. f. *Raynouard* Monum. histor. rélatifs à la condemnation des Chevaliers du Temple. 1819. 8. *W. F. Wilke* Geschichte des Tempelherren-Ordens. 1826. Th. I. II. 8.

III. *J. C. Venator's* histor. Bericht vom Marianischen teutschen Ritterorden des Hospitals unserer lieben Frauen zu Jerusalem. 1680. 4. *Raym. Duellii* historia Ordinis Equitum Teutonicorum. 1727. f. (*de Wal*) Histoire de l'Ordre Teutonique. 1784—1790. T. I—VIII. 8. *Chr. G. Elben's* Einleitung in die Geschichte des teutschen Ordens. Th. I. 1784. 8. *E. Hennig* die Statuten des deutschen Ordens, nach dem Original. 1806. 8.

§. 113.

Bella sacra adversus Saracenos, ad terram sanctam recuperandam, suscepta, quae *Expeditio-*

nes cruciatae dicuntur, tribus potissimum de causis in historia ecclesiastica commemoranda. I. Quia sunt signa et testimonia pietatis et religiositatis, etsi a superstitione non liberae. II. Quia status politici et ecclesiastici variis mutationibus occasionem dederunt, et potestatem Curiae Romanae auxerunt. III. Quia litterarum atque artium studium non uno nomine promoverunt. Sex autem (ab aliis septem) enumerantur expeditiones: I. Prima ab Urbano II. a. 1095 in Concilio Claramontano, provocante Petro Eremita, proclamata, et a *Godofredo Bullioneo*, expugnatis Hierosolymis, novoque ibi regno instaurato a. 1099, finita. II. Secunda a. 1147—1149 ab Imp. *Conrado III.* et Rege Galliae *Ludovico VII.* infausto successu suscepta. III. Tertia a. 1189, ducibus *Friderico I.* Imp., *Philippo Augusto*, Rege Galliae, et *Richardo I.*, Rege Britanniae, gloriosum habuit exordium, sed exitum infaustum. Nec multum profuit, quod ab anno 1204—1261 in urbe Constantinopolitana regnabant *Imperatores Latini.* IV. Quartam a. 1217 *Andreas II*, Rex Hungariae, ab Honorio III. provocatus, sine gloria et effectu suscepit et finivit. V. In quinta a. 1228—1229 *Fridericus II*, Imperator, excommunicatione et interdicto impulsus, in Hierosolymis recuperatis se Regem constituit; quum autem in Europam redisset, Saraceni iterum sunt dominati. VI. Sextam *Ludovicus IX*, Galliae Rex, ex devotione a. 1248, in Aegypto feliciter inchoavit et fortiter continuavit; sed quum per multos annos in conamine perseverasset, laboribus et sumtibus frustra impensis, in bello Tunetano a. 1270 vitam amisit, nullum aliud commodum quam Sancti nomen ferens. Post hunc

exitum nemo porro invitationibus et postulationibus Romanis, ad novam expeditionem, aures et obsequium praebere voluit.

Heeren's Vers. einer Entwickelung der Folgen der Kreutzzüge für Europa. Cf. Ejusd. kl. histor. Schriften. Th. III. 1808. 8. *J. J. Lemoine* discours sur la question: quelle a été l'influence des Croisades? 1808. *J. H. Regenbogen* Comment. de fructibus, quae humanitas, libertas, mercatura, industria, artes atque disciplinae per Europam perceperunt e bello sacro. 1809. 8.

M. C. Abel: Was waren die Veranlassungen zu den Kr., was ihre Wirkungen auf Europa? 1820. 8.

(*Jac. Bongarsi*) Gesta Dei per Francos s. orientalium expeditionum et regni Francorum Hierosol. historia. 1611. T. II. f. *Bernh. de Accoltis* de bello a Christianis contra barbaros gesto. *Mailly* Esprit des Croisades. 1780. T. I—IV. 12. *J. Chr. Maier's* Vers. einer Gesch. der Kr. u. ihrer Folgen. 1780. Th. I. II. 8. *J. Chr. L. Haken's* Gemälde der Kr. nach Palästina. 1808—1820. Th. I—III. 8. *Fr. Wilken's* Gesch. der Kr. nach morgenländ. u. abendländ. Berichten. 1807—1832. T. I—VII. 8. *Michaud* histoire des Croisades. Par. 1813—1825. T. I—VII. 8. *Ch. Mills* the history of the Crusades. Ed. 3. 1822. T. I. II. 8.

§. 114.

Illi Philosophi et Theologi hujus aevi, qui, non nomine novo, sed significatione nova, *Scholastici* sunt dicti et a potiori parte ex *Aristotele*, tempore expeditionum cruciatarum ab Arabibus ad Europaeos allato, Theologiam exornarunt, ab initio non solum Theologis biblicis, sed etiam Curiae Romanae valde displicuerunt: id quod nemo clarius, Alexandro III. Innocentio III. et Gregorio IX.,

testatur. Ex quo autem viderant Pontifices, Scholasticos artibus dialecticis ad defensionem dogmatum, jurium ac privilegiorum ecclesiae Romanae esse paratissimos, libenti et grato animo novum hoc auxilium in suum commodum convertere, nulli dubitarunt. Quocunque igitur fieri poterat modo Scholasticos honoribus, praemiis et beneficiis exornarunt; hi vero tanquam Doctores Summi, Episcopi et Cardinales propugnatores perpetui, paucis exceptis, sedis apostolicae fuerunt.

Lamb. Danaei Proleg. in Petri Lomb. Sent. in Opusc. theol. 1583. f. p. 1104 seqq.

Ad. Tribbechovii de doctoribus scholasticis et corrupta per eos divinarum humanarumque scientia. Edit. *C. A. Heumann.* 1719. 4.

Mart. Gerbert de recto et perverso usu Theologiae Scholast. 1768. 4.

J. A. Cramer's Fortsetzung von Bossuet's Gesch. d. Welt. Th. V. B. II. Th. VI—VII.

§. 115.

De aetate et classium descriptione Scholasticorum in varias partes VV. DD. abeunt; quum neque de termino a quo, neque de Realibus et Nominalibus, neque de litibus Thomistarum et Scotistarum, Dominicanorum et Franciscanorum, inter omnes constet. Plurimi tamen in eo conveniunt, proprium Scholasticum tempus esse illud, quod ab *Anselmo Cantuariensi* usque ad *Gabrielem Bielium* decurrit, et tribus Scholasticorum aetatibus eorum historiam commode esse comprehendendam. In prima aetate (ab a. 1034—1164)

eminent *Anselmus Cantuariensis*, *Hildebertus Turonensis*, *Petrus Abaelardus*, *Petrus Lombardus* et *Robertus Pullus*. Aetatem secundam (saec. XIII) prae reliquis *Thomas Aquinas*, *Johannes Duns Scotus*, *Alexander Halesius*, *Albertus Magnus*, *Johannes Bonaventura* aliique ornarunt. In tertia aetate, quae saec. XIV et XV complectitur, magna prodiit Scholasticorum turba, inter quos *Raymundus de Sabunde*, *Guilelmus Occam* et *Gabriel Biel* principem obtinent locum.

Tiedemann's Geist der specul. Philos. Th. IV. p. 249 seqq. Th. V. p. 1 seqq.
v. Eberstein's Gesch. der scholast. Theologie. 1802. 8.
Tennemann's Gesch. der Philos. Th. VIII—IX.
Meiners Comment. de Nominalium et Realium initiis et progressu. 1793. 4. Comment. Soc. Goetting. T. XII.
Baumgarten-Crusius de vero Scholasticorum Realium et Nominalium discrimine et sententia theologica. 1821. 4.
J. Arada Controversiae theolog. inter S. Thomam et Scotum etc. 1620. 4.

§. 116.

Scholasticis opponuntur *Mystici*, et recte quidem; nam Theologia scholastica et mystica non solum ratione principii, sed etiam quoad scopum et methodum, in diversas abeunt partes. Fuerunt quidem, qui utramque conjungerent, et eodem jure Scholasticis, quo Mysticis, annumerari possent: quales *Johannes Bonaventura*, *Hugo et Victor de sancto Victore*, *Johannes Gerson* et nonnulli alii fuerunt. Sed ejusmodi rara sunt exempla, et potior pars eorum doctorum, qui

κατ' ἐξοχὴν Mystici vocantur, in perpetua fere discordia atque inimicitia cum Scholasticis vixit. Inter viros, qui pietatem magis commendarent, quam eruditionem (qua tamen haud mediocriter erant imbuti), et omni studio depravatos sui aevi, maxime Clericorum, mores corrigerent, magna cum laude *Bernhardus Clarovallensis*, *Thomas a Kempis*, *Johannes Wesselius*, *Joh. de Vesalia*, *Johannes Taulerus* aliique nominandi sunt.

Staeudlin's Gesch. der chr. Moral. 1808. p. 134 seqq.
H. Schmid: der Mysticismus des Mittelalters in seiner Entstehungs-Periode. 1824. 8.
Ewald's Briefe über die alte Mystik u. den neuen Mysticismus. 1822. 8.
A. Neander: der heilige Bernhard und sein Zeitalter. 1813. 8.

§. 117.

Ceterum apud Mysticos primum de sacris emendandis, deque statu ecclesiae reformando serius cogitatum est. Ipsa tamen Mysticismi natura atque indoles impedimento fuit, quo minus splendidior aliquis in hoc negotio effectus efficeretur. Hinc factum, ut ecclesiasticae reformationis amatores omni nexu universaliori carentes in varias dividerentur Sectas et societates minores et dispersas, quae eo facilius opprimi atque extingui potuerunt, vel exiliori certe conditione et sorte aegre perdurarunt. Inde a saeculo XII—XV plures ejusmodi Sectae exortae, quarum socios Curia Romana Haereticos et Schismaticos pronuntiavit, Evangelica autem Ecclesia *Testes veritatis* et *Reformationis praecursores* declaravit.

Matth. Flacii Catalogus testium veritatis. Basil. 1556. 8. Ed. J. C. Dieterici. 1666. 1672. 4. Versio germ. Conr. Lautenbach.

J. C. Fuesslin's Kirchen-und Ketzerhistorie der mittlern Zeit. 1770—74. Th. I—III. 8.

J. C. L. Gieseler's Lehrb. der Kirchengesch. Ed. 2. Th. II. Abth. II. p. 478—570.

§. 118.

Primum locum inter hos obtinent *Albigenses* et *Waldenses*. Duae quidem eorum societates saec. XII et XIII, sed communi aetate, doctrina, patria et fato ita conjunctae, ut una eademque haberi possint familia. *Albigenses* a civitate et tractu Albigensi in Occitania nomen habent, sed latius id patuit omnibusque fere in Gallia meridionali sacrorum emendatoribus, licet valde diversis, impositum. Nomina varia: *Cathari*, *Pauliciani*, *Publicani*, *Paterini*, *Humiliati*, *Petrobrusiani*, *Henriciani* et alia multa ipsis, una cum Waldensibus, communia. In Concilio Lateranensi III. a. 1179 tanquam renovatores Arianismi et Manichaeismi sunt damnati. At quum Legatum papalem interfecissent (a. 1209), *Innocentius III.* expeditionem cruciatam contra illos eorumque defensores Comites Tholosanos armavit, qua effectum est, ut post bellum diu et crudeliter gestum tandem opprimerentur.

Petri Sarnensis historia Albigensium et belli sacri in eos a. 1209 suscepti. Edit. Trec. 1615. Cf. *Du Chesne* Script. hist. Francor. T. V. p. 554 seqq.

Wilhelmi de Podio Laurentii Chronica super historia negotii Francorum adversus Albigenses. Cf. *Du Chesne* Script. hist. Franc. T. V. p. 666 seqq.

R. Pr. Benoist histoire des Albigeois et des Vaudois ou Barbets. 1691. T. I. II. 8.
Guil. Catel histoire des Comtes de Toulouse. 1623. 8.

§. 119.

Waldenses dicti a *Petro Waldo* (de Valdo), cive et mercatore pio Lugdunensi, qui inde ab a. 1170 salutarem evangelii doctrinam ad sacrae scripturae auctoritatem, et cultum ad primitivae ecclesiae simplicitatem revocaturus, plurium coetuum in sua patria extitit auctor, ad quorum exemplum aliae in aliis provinciis ortae sunt sodalitates et fraternitates. Saepius cum Albigensibus uniti et permutati et nomina eorum tulerunt. Praeterea *Pauperes de Lugduno*, *Leonistae*, *Picardi*, *Insabatati* et similiter nominantur. A Concilio Veron. a. 1184 aliisque deinde Synodis Gallicanis et Germanicis quum essent damnati, ab ecclesia Romana publice recesserunt, et in Italia, Germania, Bohemia etc. sua symbola et instituta habuerunt. Multis et crudelibus persecutionibus, quam maxime ab Innocentio VIII. excitatis, vexati, tamen non solum usque ad saec. XVI, sed etiam usque ad nostra tempora, quamvis deteriori conditione et sorte, perdurarunt.

J. Leger histoire generale des Eglises evangeliques de Piemont, ou Vaudoises. 1669. f.
(*Jaq. Brez*) hist. des Vaudois. 1796. T. I. II. 8. Vers. germ. 1798. 8.
C. G. Roessler's Vers. einer kurzen Gesch. der Waldenser. 1825. 8.
Monetae Summa adv. Catharos et Valdenses, libb. V. Edit. *Th. A. Ricchini.* 1743. f.

(*Yvoneti*) Tractatus de haeresi Pauperum de Lugduno; v. *Martene* Thesaur. Anecdot. T. V.
Rayner. Sachoni Summa de Catharis et Leonistis; in *Martene* Thes. Anecd. T. V. et in Bibl. P. P. Maxima T. XXV.
Confessio Waldensium. Basil. 1568. 8.

§. 120.

Eodem tempore, quo Inquisitione haereticae pravitatis omnes Sedis Romanae adversarii in meridionalibus et occidentalibus Europae partibus sunt vexati atque oppressi, in Britannia nova exorta est Secta, quae novum in ecclesia statum atque ordinem introducere tentavit. Auctor *Johannes Wiclefus* (John Wicliffe), Theologus Oxoniensis, vir doctus et pius, impudentia Monachorum mendicantium et Legatorum Pontificiorum ad indignationem excitatus, sermonibus et tractatibus abusus ecclesiasticos doctrinales et rituales tanto ardore et successu impugnavit, ut multos in populo, clero et magistratibus in partes suas traheret. Instigantibus autem Gregorio XI. et Urbano VI. Synodus Londinensis et Oxoniensis a. 1382 Wiclefiana dogmata sub anathema vocavit, eumque in nonnullis assertionibus ad retractationem et palinodiam adegit. Hanc ob causam, et quia Reges Eduardum II. et Richardum II. et Optimates in Anglia habuit defensores et patronos, usque ad finem vitae (a. 1384) in pace vixit; sed a. 1428, jubente Martino V, ossa ejus flammis tradita, ejusque asseclae, quorum multos habuit quique in Anglia minus recte *Lollhardi* vocabantur, carcere, exilio et supplicio adfecti. Tractatus multi, quos Wiclefus contra abusus et superstitiones scripsit, laude

sua non carent; sed optime meruit de *versione scripturae sacrae* (non ex textu originali, sed versione vulgata) et de *institutione catechetica*, qua utraque praeceptor populi et juventutis factus.

Joh. Wiclefi Dialogorum libri IV. Basil. 1525. 4. Edit. L. P. Wirth. Francof. 1753. 4.
J. Lewis history of the life and sufferings of John Wicliffe. Lond. 1720. 8.
R. Vaugham the life and the opinions of John de Wicliffe, illustrated principally from his implished manuscripts. 1827. 8.
A. Zitte's Lebensbeschreibung des englischen Reformators J. Wiclef. 1786. 8.
J. G. Walch de Lollhardis; v. Miscell. sacr. p. 645 seqq.

§. 121.

Principiis et libris Wiclefianis initio saec. XV duumviri probi ac pii in Bohemia, *Johannes Hussus* et *Hieronymus Pragensis*, insolentiam atque impietatem Pontificiam simulque vitia Monachorum et Clericorum tam fortiter et efficaciter aggressi sunt, ut plausum populi et nobilium ferrent, et meliorem ecclesiae statum promitterent. Sed imprudentia et violentia *Sbinconis*, Archiepiscopi Pragensis, et *Johannis XXII.* Pontif. omnis haec causa infelicem habuit exitum. Nam quum Hussus (a. 1411) Romae damnatus atque excommunicatus ad Concilium generale provocasset, Patres Constantienses, praeter spem et opinionem, et violato salvo conductu, doctrinam ejus *de communione sub utraque specie* et *de peccatis mortalibus* haereticam declararunt et auctorem ad rogum damnarunt. Hussus igitur, quum, neque

confessus neque convictus, revocare nollet, a. 1415 d. VII Julii flammis traditus, quem a. 1416 *Hieronymus Pragensis* eodem supplicio, quamvis minori constantia, insequutus est. Hoc utriusque Martyris supplicio in Bohemia rebellionis et belli flamma accensa, et nova factio *Hussitarum* sive *Fratrum Bohemicorum* de omnibus duorum Martyrum et Sanctorum in Bohemia et Saxonia hostibus crudelissimam sumsit vindictam. Conditiones aequiores Hussitis in Concilio Basileensi concessae pacem restituere non valuerunt, id tamen effecerunt, ut Hussitae, in varias Sectas divisi (Taboritae, Calixtini, s. Pseudo-Hussitae, Orphani) et inter se scissi, faciliori negotio opprimerentur.

Jo. Hussi narratio de initiis et progressu certaminum suorum. Actiones et monumenta Martyrum, qui a Wicleffo et Husso ad nostram hanc aetatem in Germania etc. veritatem evangelicam sanguine suo constanter obsignarunt. Genev. 1560. 4.

Historia et monumenta Jo. Hussi atque Hieronymi Pragensis. Norimb. 1715. f.

Seyfried de Hussi ortu, educatione, studiis, doctrina, vita, morte et scriptis. 1729. 4. Ed. *Chr. Mylii.* 1743. 4.

Gilpin's Biographie der bekanntesten Reformatoren vor Luther, Joh. Wicliffs, Joh. Huss etc. Aus dem Engl. übers. 1769. 8.

Joach. Camerarii histor. narratio de Fratrum orthodoxorum ecclesiis in Bohemia, Moravia et Polonia. 1605. 8.

J. A. Comenii historia Fratrum Bohemorum. 1702. 4.

Historia belli Hussitici auctore *Aen. Sylvio*, *Lenfant* *L. Byzyno*, *Z. Theobaldo* *Js. de Beausobre* al.

§. 122.

Praecursoribus denique Reformationis annumerandi sunt viri praeclari, qui viam Scholasticorum deserere et Theologiam dogmaticam ad methodum Patrum antiquorum et puriori atque elegantiori stylo tradere ausi sunt, quales *Thomas Bradwardinus* et *Paulus Cortesius* 1). Multo magis autem profuerunt *studii biblici* tot saeculis neglecti promotores, quorum nomina prae reliquis sunt: *Hugo de St. Caro*, *Nicolaus de Lyra*, *Laurentius Valla*, *Franciscus Ximenes*, *Johannes Reuchlinus* et *Desiderius Erasmus* 2). Quod singulis doctoribus non licuit, id conjunctis viribus corporum doctorum, quae *Universitates* dicta, et saec. XIII—XV in Gallia, Italia, Anglia et Germania prudenter instaurata sunt, in maximum litterarum liberalium emolumentum effectum est 3). Reconciliatio Ecclesiae Latinae cum Graeca saepius hoc tempore, novissime a Concilio Florentino a. 1439 frustra quidem tentata, id tamen commodi habuit, ut in Occidente novus *Graecarum litterarum* amor accenderetur atque in scholis academicis aleretur 4). Ideoque et tristissimum Imperii Constantinopolitani fatum (a. 1453) inter eventus referendum, ex quibus ad Latinos plus commodi quam incommodi redundavit.

1) *Th. Bradwardini* de causa Dei contra Pelagium et de virtute causarum. Ed. *H. Savilii.* 1618. f. *Paulus Cortesius* in Sententias; qui in hoc opere eloquentiam cum Theologia conjunxit. Ed. Rom. 1512. Basil. 1513. f.

2) De his et aliis v. *Rosenmüller's* Handbuch für die Lit. der bibl. Krit. u. Exegese. Th. I—III. *Meyer's* Geschichte der Schrifterklärung. Th. I. 1802. 8.

3) *J. Launois* de scholis celebribus a Carolo M. et postea restauratis. c. 59. *Crevier* Dissert. sur les Origines des Univers. in ejusd. histoire de l'Université de Paris. T. VII. p. 90 seqq. *Herm. Conring* Antiquitates academ. *Brehm's* Alterth. Gesch. u. neuere Statistik der hohen Schulen. Th. I.

4) *Chr. Fr. Boerner* de doctis hominibus Graecis litterarum graecarum in Italia instauratoribus. 1750. 8. *du Boulay* hist. Univers. Par. T. V. p. 692 seqq.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

PARS TERTIA.

HISTORIA RECENTIORIS AEVI.

LOCUS I.

Historia Reformationis in genere et Lutheranorum in specie.

PERIODUS PRIMA.

A Luthero usque ad Pacem Augustanam de religione. a. 1517—1555.

Jo. Sleidani de statu religionis et reipublicae, Carolo V. Caesare, comment. Edit. *C. C. Am-Ende.* 1785—86. T. I—III. 8. Vers. germ. cur. *J. S. Semler.* 1770 — 73. T. I—IV. 8.

Viti Ludov. a Seckendorf Comment. de Lutheranismo, s. de reformatione religionis ductu D. M. Lutheri. 1692. f. Epitome *Frickii* 1714. et *Junii.* 1755. 1788. 8.

Dan. Gerdesii Introductio in historiam Evangelii saec. XVI. passim per Europam reformati. 1744—52. T. I—IV. 4.

— — Scrinium antiquarium, s. Miscellanea Groningana nova ad historiam reformationis eccl. spectantia. 1748—62. T. I—VII. 4.

W. E. Tenzel's histor. Bericht vom Anfang u. Fortgang der Reform; nebst Urkunden. Edit. *E. S. Cyprian.* Th. I. II. 1718. 8.

V. E. Loescher's vollst. Reformations-Acta u. Documenta. 1720—29. T. I—III. 4.

H. v. d. Hardt historia litteraria reformationis; cum introduct. 1717. f.

G. J. Planck's Gesch. der Bildung, der Schicksale u. der Befestigung d. protest. Kirche. Th. I—VI. 8.
C. L. Woltmann's Gesch. der Reformation in Deutschland. 1801—5. T. I—III. 8.
Ph. Marheinecke Gesch. der deutschen Reformat. 1816. Th. I—III. Ed. 2. 1831. 8.

---

§. 123.

Secundo saeculi XVI decennio, favente divinae providentiae gratia et rerum facie et conditione feliciter mutata, id tandem evenit, quod per multa jam saecula in votis, desideriis et studiis omnium proborum et piorum hominum fuerat: *Reformatio ecclesiae*, in tot terris et saeculis frustra tentata, in Germania fausto successu inchoata et tam celeri cursu per universam fere Europam propagata, ut ex ipsa hac celeritate, quam necessaria fuerit, intelligi possit. Hac autem Reformatione in orientalibus et septentrionalibus Europae partibus nova prorsus ecclesiae prodiit forma et facies, quae non uno nomine ab illa antiquissima ecclesiae orientalis atque occidentalis erat diversa. Ab illo tempore, alio quam olim sensu, *duplex ecclesia* existere coepit, quarum altera *catholica*, altera vero *evangelica* s. Ecclesia *Protestantium*, dicitur. Illa comprehendit *Romanam* et *Graecam*; haec autem *Lutheranorum* et *Reformatorum* ecclesiam. Nil tamen pugnandum, si quis vel *triplicem*, vel *quadruplicem*, ecclesiam distinguere malit.

De variis familiis et classibus ecclesiasticis cf. *Chr. D. Beck* Comment. histor. decretor. relig. chr. 1801. 8. p. 822—24. *C. F. Staeudlin's* kirchliche Geogra-

phie u. Statistik. 1804. Th. I. II. 8. *H. Zschocke's* Darstellung der gegenwärtigen Ausbreitung des Christenthums. 1819. 4.

§. 124.

Ad quaestionem saepius propositam: — quid intersit inter ecclesiam catholicam et evangelicam, et quodnam hujus sit verum et proprium fundamentum? — si brevissimis respondere velimus, genuinum Protestantismi principium his propositionibus contineri videbimus: 1) Ecclesiae tam visibilis quam invisibilis caput commune atque unicum esse Jesum Christum. 2) Scripturam sacram, s. verbum Dei scriptum, rationaliter interpretandum, unicam esse fidei et vitae christianae normam et regulam, cui nullae traditiones sint aequiparandae. 3) Ecclesiam esse congregationem Sanctorum, in qua, ad mandatum Christi et ad exemplum ecclesiae antiquae et apostolicae, evangelium recte doceatur, et rite administrentur sacramenta. His autem probe intellectis facile apparet, quam falsum sit praejudicium multorum, qui Protestantismum vel merum *Anti-Papismum* dicant, vel cum *Rationalismo absoluto* confundant. Illud extremum apud Majores nostros, hoc vero apud Nostrates regnare videmus.

C. Freymann de natura et indole veri Protestantismi. 1792. 8.

J. G. Rosenmüller's Beantwortung der Frage: Warum nennen wir uns Protestanten? 1790. 8.

J. C. Schwab de jure Protestantium examinandi religionem suam, hujusque examinis indole. 1792. 8.

J. Frey: Warum nennen wir uns Protestanten? 1826. 8.

§. 125.

Haec autem ecclesiae reformatio, a *revolutione* caute distinguenda, non subito et quasi per saltum, vel ut Deus ex machina, sed diu cogitata, desiderata et praeparata, tandem maturiori saeculo est introducta. Id quidem sine haesitatione largiendum, ipsos Reformatores ab initio de consilio et fine adhuc dubios fuisse, totumque hoc negotium ex eventu potius et successu, quam ex consilio praemeditato et artificiosa computatione, esse aestimandum. Nil tamen, si ita statuamus, meritis et honori Reformatorum detrahitur, qui vel eo nomine aestimandi atque honorandi, quod a Deo tanquam instrumenta et praecones veritatis et voluntatis divinae prae ceteris fuerunt electi et destinati.

G. Veesenmeyer de recto et vario hist. reform. sacr. usu. 1790. 4.
G. Schlegel de haud peritura dignitate reformat. sacror. per Lutherum factae. 1795. 4.
K. L. Reinhold's Ehrenrettung der Reform. gegen M. J. Schmidt's Gesch. d. Deutschen. 1789.
Ch. Villers essai sur l'esprit et l'influence de la reformation de Luther. Edit. 3. 1808. 8. Vers. germ. a *C. F. Cramer* (1805) et *N. P. Stampeel* (1805; ed. 2. 1819. 8.).

§. 126.

Quum reformatio in Germania orta et promota omni de jure *causa Germanicae gentis* sit dicenda, in judicio de hac causa ad haec potissimum erit respiciendum: 1) Ad eam Germanicae nationis indolem et virtutem, qua, teste historia,

omni tempore jugi impatiens et libertatis amantissima fuit. 2) Ad situm et statum Germaniae, quo ab aliis Europae differt partibus. 3) Ad nexum singularem, quo *Saxonia* cum reliquis Germaniae statibus et ordinibus et cum aliis provinciis erat conjuncta. 4) Ad consortium illud, quo illo tempore tot viri docti et probi in Germania et universa fere Europa contra superstitionem, barbariem et tyrannidem erant conjuncti et quasi conjurati.

J. G. Tieftrunk's Darstellung der vorzüglichsten Umstände, durch welche die Ref. vorbereitet, bey ihrem Anfang u. Fortgang unterstützt u. ihre Ausbreitung befördert worden ist. 1794. 8.
J. Fr. Chr. Heinrichs comment. de iis, quae potissimum contulerint ad Lutherum sacr. reformatorem sensim effingendum. 1819. 8.
H. A. Erhard's Gesch. des Wiederaufblühens wissenschaftlicher Bildung, vornäml. in Deutschland bis zum Anfange d. Reform. 1829 — 32. Th. I. II. III. 8.

§. 127.

Ipsa autem reformationis historia universalis, cujus Periodus prima tempus ab incunabulis a. 1517 usque ad Pacem de religione a. 1555 complectitur, hisce potissimum absolvitur capitibus: I. De vita et factis *Martini Lutheri*, qui omnis hujus causae antesignanus et vis movens habendus. II. De viris egregiis, Lutheri sociis, qui eruditione, ingenio et virtute opus salutare promoverunt. III. De principibus et magistratibus reformationis negotio faventibus illudque mascule defendentibus. IV. De difficultatibus et impedimentis a partibus Pontificiorum Protestantismo oppositis. V. De transactio-

nibus publicis in causa Protestantium earumque effectu.

Haec hujus periodi potiora esse momenta omnes concedunt, licet in materiae delectu et tractandi methodo varient. Cf. *Val. Loescher's* vollst. Reform. Acten. T. I.

§. 128.

Vita *Lutheri*, qui in hac causa primas tenet partes, quatuor aetatibus commode describitur. I. In prima aetate ab a. **1483** — **1520** anni et dies memoriales observandi sunt sequentes: dies **10** Nov. a. **1483**. a. **1508**. **1512**. d. **31** Octobr. **1517**. d. **16** Octobr. **1518**. d. **27** Jun. — **16** Jul. **1519**. d. **10** Decembr. **1520**. II. Aetas secunda ab a. **1521** — **1530** haec habet memorabilia: **1**) Heroismus Lutheri in Comitiis Wormatiensibus d. **17** et **18** April. **1521**. **2**) Ejus Pathmos in arce Wartburgensi. **3**) Ejus constantia et prudentia in turbis a Carolostadio excitatis et in seditione rusticorum. **4**) Matrimonium. **5**) Controversiae et altercationes cum Carolostadio, Zwinglianis, Erasmo, Georgio, Saxoniae Duce, et Henrico VIII, Rege Magnae Britanniae. III. Tertia aetas ab a. **1530** — **1537** virum eximiae maturitatis et perfectionis, agendo, docendo, scribendo, ante oculos ponit: id quod Augustana Confessio, Articuli Schmalcaldici aliaque scripta et facta testantur. IV. Ex quarta aetate ab a. **1538** — **1546** res notabiliores sunt: **1**) Mutatus rerum status in Ducatu Saxonico. **2**) Controversiae cum Helveticis et Henrico, Duce Brunosuicensi. **3**) Colloquium Wormatiense et Ratisbonense. Lutherus d. **18** Febr.

1546 rebus humanis ereptus eo temporis momento, quo reformationis opus ad summum fastigium emerserat, et quo impendentes tempestates nondum irruerant.

Joh. Matthesii Historie von D. M. Luther's Anfang, Lehre, u. Leben. 1565. 4. 1715. 8. 1817. 4. (ed. *v. Arnim.*)
Fr. S. Keil's merkwürdige Lebensumstände D. M. Luther's. 1764. Th. I — IV. 4.
Chr. W. Spieker's Geschichte D. M. Luther's. 1818. 8.
J. A. Fabricii Centifolium Lutheran. s. notit. lit. script. de Luthero. P. I. II. 1728. 8.
G. H. A. Ukert: D. M. Luther's Leben, mit einer kurzen Reform. Gesch. Deutschl. u. d. Literatur. Th. I. II. 1817. 8.

Opera Lutheri Latina. Edit. Viteb. 1545 — 58. T. VII. f. Edit. Jen. 1579 — 83. et 1612. T. IV. German. edit. Viteberg. 1539 seqq. T. XII. f. Jen. 1556 — 58. T. XII. f. Altenburg. 1661 — 64. T. X. Lips. 1729 — 40. T. XXII. f. Halens. (ed. J. G. Walch) 1740 — 53. T. XXIV. 4. Erlang. 1826 seqq.
Epistolae Lutheri ed. *G. Schütze* 1780 — 81. T. III. edit. *de Wette.* Berol. 1825 seqq. T. IV.

§. 129.

Post Lutherum nemo est, cui ecclesia evangelica tantum debeat, quam *Philippus Melanchthon*, vir doctissimus atque ingeniosissimus, fidelis Lutheri amicus et collega. Ipse quidem solus salutare reformationis opus nec aggredi nec perficere potuisset: attamen ejus opera factum est, ut sacrorum emendatio non a recto aberraret scopo, et doctiorum hominum haberet assensum. Utriusque

duumviri arctissimam conjunctionem vetus exprimit Distichon:

Diversae his operae; sed mens fuit unica: pavit
Ore Lutherus oves, flore Melanchthon apes.

In negotiis et Colloquiis religionis causa susceptis primas Melanchthon habuit partes ejusque scripta philologica, et theologica, inter quae Apologia Augustanae Confessionis et Loci theologici symbolicam obtinuerunt auctoritatem, ipsi nomen *Praeceptoris Germaniae* conciliarunt. Post mortem Lutheri dux et caput ecclesiae novae fieri potuisset; sed nunquam ejusmodi gloriam adfectavit, id solummodo appetens, ut, quocunque id fieri posset modo, dissentientes et abalienatos reconciliaret evangelicorum Theologorum animos. Sed hoc pacis studium exoptato caruit effectu, adeoque odium theologicum τῶν γνησίων ita auxit, ut a. 1560 inter tristissimas de rabie Theologorum lamentationes piam exspiraret animam, et ut ipsa morte duplicem oppositamque *Crypto-Papismi* et *Crypto-Calvinismi* non effugere posset calumniam.

Joach. Camerarii de vita Ph. Melanchthonis narratio. 1566. Edit. *Strobel* 1777. 8. Edit. *Augusti.* 1818. 8.
G. T. Strobel's Apologie Mel. 1783. 8.
A. H. Niemeyer Phil. Mel. als Praeceptor Germaniae. 1817. 8.
Opera Mel. ed. Basil. 1541. T. V. f. Viteb. 1562—64. (cur. *Peucero.*) T. IV. f. Viteb. 1601. Hamb. 1617. T. IV. f. Epist. ed. Manlio, Peucero, Saleberto al.
Loci theologici. 1521. ed. Lips. 1821. 8.

§. 130.

Difficillimum sane negotium, post Lutherum et Melanchthonem, inter tot viros doctos et pro-

bos, quibus Germania tunc abundabat, eos prae ceteris recensere, qui salutare opus feliciter adjuvarunt. Ex horum numero esse: *Georgium Spalatinum*, *Justum Jonam*, *Joh. Bugenhagenium*, *Martin. Bucerum*, *Gerhard. Andr. Hyperium*, *Urbanum Regium*, *Frider. Myconium*, et *Erhard. Snepfium*, nemo negabit, etsi adhuc multi sunt pariter digni, qui in horum societatem veniant. Inter reliquos hujus aevi Theologos multi sunt, qui propter immoderatam rixandi libidinem in justam incurrunt vituperationem, et novae ecclesiae plus detrimenti quam commodi attulerunt. Nihilominus, qui in hac parte sunt antesignani: *Joh. Agricola*, *Flacius Illyricus*, *Joh. Wigandus*, *Andr. Osiander*, *Tilem. Hesshusius*, *Ge. Major*, *Victor. Strigelius* aliique his similes, magnis singuli exornati sunt meritis, et nil magis dolendum, quam quod sincerum veritatis studium cum apostolico illo: *ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ* (Ephes. IV, 15) conjungere non valuerunt.

Casp. Sagittarii historia vitae G. Spalatini. 1693. 4.
L. Reinhardi Comment. de vita et obitu Justi Jonae. 1731. 8. *G. Chr. Knapp* narratio de J. Jona. 1817. 4.
Vita Joh. Bugenhagen, Pomerani, auct. *Lange* (1738. 8.), *Jaenke* (1757. 4.), *Engelken* (1817. 8.), *Kraft* (1829).
A. M. Verpoortenn Comment. de M. Bucero. 1705. 8.
W. Orthii de vita et obitu A. Hyperii. 1564. 4.
Urbani Regii (Koenig) vita auct. *Ern. Regio*, filio, et *M. S. Grabe.*
Frider. Myconii vita auct. *J. G. Junker* (1730. 4.) *J. G. Bosseck* (1739. 4.) et *C. H. Lommatsch* (1825. 8).
C. L. Nitzsch de Antinomismo J. Agricolae. P. I. II. 1804. 4. *Bernh. Kordes* Joh. Agricola's Schriften vollst. verzeichnet. 1817. 8.

J. B. Ritter's Flacii Leben u. Todt. 2. Ausg. 1725. 8.
Loeber de Flacianismo. 1658. 4.
Joh. Wigard de Osiandrismo. 1579. 4.
Tilem. Hesshusii vita auct. *Jo. Oleario*, et *Joh. Ge. Leuckfeld* (1716. 4.).
Ge. Majoris Opera. 1569. T. I—III. f. Ejus autobiographia T. I. p. 1599 seqq.
Victor. Strigelii Loci theol. ed. *Ch. Pezelii.* 1581—84. T. I—IV. 4. Hypomnemata in omnes libros N. T. etc.

§. 131.

Ingentibus et variis eruditorum hominum meritis haec melioris status causa, quae sine Theologorum opera ne cogitari quidem poterat, promota est atque aucta. Quod autem tam celeriter et feliciter prosperavit, id potissimum prudentiae et praesidio Principum et Politicorum debetur. Equidem nullo modo negari potest, nonnullos Principes gloriae adfectatione et lucri cupiditate potius, quam sincero veritatis amore, fuisse excitatos ad hoc negotium et permotos. Attamen non sine injuria fieret, si quis sincerum et sanctum veritatis et pietatis studium, quo multi principes una cum populo suo, illustri exemplo, ferebantur, non agnoscere vellet. Praeterea in historia non tam ad causas primas et rationes individuas, quam ad effectum et successum est respiciendum.

J. G. Reinhard de jure Principum Germaniae, cumprimis Saxoniae, circa sacra ante tempora Reformationis exercita. 1717. 4.
B. Bebelii de beneficiis magistratui politico b. Lutheri ministerio exhibitis.
Ad. Rechenberg de praerogativa imperii principis protestantis.
H. G. Masii Dissert. Interesse principum circa religionem evangelicam.

§. 132.

Inter omnes totius Germaniae provincias *Saxonia Electoralis* ea fuit, ubi reformatio ab omnibus desiderata primum inchoata et insigni cum prudentia et constantia est continuata. Feliciter evenit, ut tres continuo succedentes Electores: *Fridericus Sapiens*, *Johannes Constans*, et *Joh. Fridericus Magnanimus* non solum pietatis et veritatis evangelicae sapientes et constantes aestimatores ac defensores, sed etiam singulares Lutheri essent fautores. In Ducatu quidem Saxonico Dux *Georgius Barbatus* diro sese opposuit odio; sed frustra, quippe qui impedire non posset, quin successores ejus reformationi faverent. Novus post catastrophen, quam a. 1547 experta est stirps Ernestina, creatus Elector *Mauritius* doctrinam Lutheri tanto ardore profiteri et tueri coepit, ut amicorum pariter et adversariorum longe vinceret exspectationem.

J. A. Gleichen's Annales ecclesiastici, oder gründliche Nachrichten der Reformationshistorie u. s. w. 1730—33. Th. I. II. 4.
V. L. de Seckendorf histor. Lutheranismi. Lib. I.
Fr. Hortleder vom deutschen Kriege. B. I. c. II—V.
Ge. Spalatini Annales reformationis. Edit. *E. S. Cyprian*. 1718. 4.
— — Leben Johann des Beständigen. V. *Struv's* hist. polit. Archiv. Th. III.
Joach. Camerarii orat. in memoriam Mauritii Electoris. V. *Menckenii* Script. rer. German. T. II.

§. 133.

Indefessioribus porro reformationis fautoribus et defensoribus adnumerandi sunt haud pauci

Principes Germaniae; et inter hos primo loco *Philippus*, Landgravus Hassiae; *Ernestus*, Dux Lunaburgicus; *Georgius*, Marchio Brandeburgicus, et *Volgangus*, Princeps Anhaltinus. Hi puriorem doctrinam apud suos populos introduxerunt, eamque Protestatione Spirensi et Confessione Augustana publice sunt professi. Non solum autem profitendo, sed etiam defendendo causam Evangelicorum promoverunt. Nam foedere Torgaviensi (a. 1526) et Schmalcaldico (a. 1531) cum Saxonia uniti, conjunctis viribus ad stabiliendam defendendamque purgatam ecclesiam erant parati. Quae autem in singulis provinciis in reformationis negotio acta sunt, brevi summa comprehendenda.

Dav. Chytraei Chronicon Saxonicum.
Frid. Myconii historia reformationis. Edit. *E. S. Cyprian.* Cf. *Tenzel's* histor. Bericht von Anfang u. Fortgang der Reformation. Th. II.
v. d. Lith Erläuter. der Ref.-Gesch. aus dem Onolzbach. Archiv. p. 240 seqq.
Guden de Ernesto Duce Brun.-Lunab.

§. 134.

In *Hassia*, ubi jam ante Lutherum nonnulli pastores de abusibus tollendis cogitaverant, primi motus reformatorii a. 1524 ipsum *Philippum Magnanimum*, Lutheri scriptis et Melanchthonis consilio excitatum, habuerunt auctorem. Adjuvarunt eum prae ceteris *Franciscus Lambertus* (Avenionensis) et *Adamus Crato* (Kraft), et deinceps *Gerhardus Andreas Hyperius*. Sed hoc in Hassia in hac causa a Saxonia diversum, quod non

solum a Synodo Homburgensi (a. 1526) et Marpurgensi (a. 1527), sed etiam ab Ordinibus provincialibus reformationis opus approbatum et confirmatum est, ita ut omnium consensu et celerius, quam in aliis terris, procederet. Universitas Marpurgensis (a. 1527) prima omnium fuit, quae Protestantismo originem debet, et ubi Lambertus primus fuit Theologus, Hyperius vero, sine derogatione Lutheranismi, doctrinam Helveticam docuit.

Helv. Garthii gründl. ausführl. histor. Bericht von dem Religionswesen im Fürstenth. Hessen, wie es damit vom Anfang evangel. Reform. bisher gestanden. 1606. 4.

Henr. Leuchteri antiqua Hessorum fides chr. et vera. 1607. 4.

D. E. Rommel's kurze Gesch. der Hessen-Casselschen Kirchenverbesserung unter dem Landgr. Philipp d. Grossmüth., Wilhelm d. Weisen, u. Moritz d. Gelehrten. 1817. 8.

Chr. von Rommel's Philipp d. Grossm. Landgraf von Hessen. 1830. Th. I—III. 8.

§. 135.

In Ducatu *Lunaburgico* eodem anno (1526), quo Dux *Ernestus* junior, una cum fratribus Ottone et Francisco, evangelicam doctrinam est professus, adjuvantibus *Henrico Bockio*, *Matth. Gindericko*, *Joh. Lampadio* aliisque pastoribus, in singulis ecclesiis abusus liturgici sublati. Sed vera sacrorum emendatio ab a. 1530 incoepit, postquam *Urbanus Regius*, vir doctus, gravis et prudens, Antistes ecclesiae Lunaburgicae et Cellensis creatus est. Hujus viri moderatissimi libellus de formulis

caute et sine scandalo loquendi a multis dignus fuit judicatus, qui auctoritatem fere symbolicam consequeretur. Sed Dux Brunosuicensis, *Henricus junior*, per plurimos annos in Evangelicos debacchatus est, donec, a confoederatis Schmalcaldicis duplici clade victus, in territorio suo reformationem admisit, quam ejus filius *Julius*, Universitatis Helmstadiensis conditor, inde ab a. 1568 feliciter perfecit.

J. G. Bertram's evangelisches Lüneburg, oder Reform. u. Kirchenhist. 1719. 4.
C. Wallis Abriss der Ref.-Gesch. Lüneburg's. 1831. 8.
Pratje Relig.-Gesch. von Bremen u. Verden. 1768. 8.
P. J. Rethmeier's antiquitates eccles. Brunsvigae. 1707. Th. I—V. 4.
Henr. Meibom Opusc. histor. et Script. rer. Germ. T. III.
Hamelmann hist. renati evang. in Ducatu Brunsuic.
J. K. F. Schlegel's Kirchengesch. von Norddeutschland, mit bes. Hinblick auf die Hannov. Staaten u. Ref.-Gesch. Hannover's bis zum Westphäl. Frieden u. s. w. 1829—32. Th. I—III. 8.

§. 136.

Quemadmodum in Saxonia, ita in *Dynastia Brandeburgica* in hoc negotio ex parte opposita actum. Nam Marchio Brandeburgicus et Princeps Onoldisbacensis *Georgius pius* jam a. 1525 de promovendo evangelio sollicitus Augustanae Confessioni subscripsit pacemque religionis Norimbergensem a. 1532 sustentavit, in quibus omnibus successorem habuit filium Georgium Fridericum. Contra Elector Brandeburgicus *Joachimus I.*, cum Georgio Barbato, Saxoniae Duce, rem communem

faciens, acerrimum sese gessit adversarium. Sed ejus successor *Joachimus II.*, postquam ab a. 1535 liberum religionis exercitium permiserat, a. 1539, una cum Episcopo catholico *Matthia de Jagow*, publice doctrinam evangelicam professus est, simulque Edictum de ordine ecclesiastico (a. 1540), quod omnium hujus generis primum, emisit.

H. Schmidt's Einleitung zur Brandenburgischen Kirchen- u. Ref.-Gesch. 1718. 4.

Gallus Handb. der Brandenburg. Gesch. Th. III. p. 51 seqq.

§. 137.

Inter *Principes Anhaltinos* praeclare meruit *Volgangus* tanquam Augustanae Confessionis fidelis confessor; sed potior laus debetur *Georgio*, principi, qui nomine pii et docti jure meritoque ornatur. Is enim, Luthero et Melanchthoni prae ceteris carus, et in interpretatione textus originalis S. S. et in scriptis Patrum, historia ecclesiastica et jure canonico egregie versatus, non solum a. 1534 in suo principatu, sed etiam in Episcopatu Martisburgico, cujus Administrator a. 1544 factus, evangelii lucem et docte scribendo et efficaciter concionando accendit. Scripta ejus sermone latino et vernaculo saepius edita causae Evangelicorum multum profuerunt.

Joach. Camerarii narratio de Georgio principe Anhaltino. Cf. Georgii Pr. Conciones synod. 1555. 4.

Fr. Pfannenberg: Georg d. Dritte, Fürst zu Anhalt, Coadjutor zu Merseburg u. s. w. 1830. 8.

§. 138.

Reformationis in Ducatu *Würtembergico* semina Lutheri scriptis jam a. 1519 sparsa, propter turbas politicas non nisi ab a. 1534, duce *Ulrico* restituto, fructus tulerunt. *Matthias Alberus*, *Erhardus Snepfius* et *Ambrosius Blaurer*, ex mandato Ducis, sacra emendarunt. Hisce triumviris se junxit *Johannes Brentius*, vir egregius, cujus scripta Lutherus suis longe praeferenda modeste putavit, quique verus Würtembergicae ecclesiae stator dicendus. Bellum Schmalcaldicum et Interim novam ecclesiam et Brentium innumeris periculis malisque adfecerunt; sed post pactum Passaviense Brentius omnia in integrum restituit simulque, ex mandato *Christophori* Ducis, *Confessionem Würtembergicam*, eodem consilio ac tempore, quo Saxonica, scriptam, Concilio Tridentino, ad quod tamen non admissus, exhibuit. Idem usque ad mortem (a. 1570) pacem et concordiam indefesso studio promovit.

Chr. M. Pfaff Comment. de actis scriptisque publ. eccl. Würtemberg. 1718. 4.
Chr. Fr. Schnurrer's Erläuter. der Würtemb. Kirchen-Ref.- u. Gelehrtengesch. 1798. 8.
Vita Joh. Brentii auct. *v. Einem* et *Beyschlag*.

§. 139.

Quum in *Silesia* Hussitarum haud pauci laterent, eo facilius Lutheri doctrina habuit ingressum. *Fridericus II.*, Dux Ligniciensis et Bregensis, ab a. 1521 primus ejus fuit fautor. Insequutus est *Magistratus Vratislaviensis*, *Johan-*

nem Hessum et *Ambros. Moibanum* pastores evangelicos vocans, a quibus nova Liturgia et Ordo eccles. a. 1526 introductus. Ipse adeo Episcopus Vratislaviensis *Jacobus de Salza* rem adjuvit. Itaque factum, ut brevissimo temporis spatio potior pars totius Silesiae ad meliorem cultum esset conversa. Ast irruit saec. XVII. funestissimum tempus, quod Evangelicis frustra ad *Diploma Rudolphi* (a. 1609 sub titulo *Majestäts-Brief* emissum) provocantibus et multimodo vexatis summum attulit periculum, ita ut parum abfuerit, quin radicitus delerentur.

A. G. Rosenberg's Schlesische Reform.-Gesch. 1767. 8.
J. A. Hensel's protestantische Kirchengesch. von Schlesien. 1768. 4.

§. 140.

Reformatio *Borussiae* cum causis politicis ita conjuncta, ut origo novi Ducatus inde sit derivanda. Nam *Albertus*, Marchio Brandeburgicus, Equitum Ordinis Teutonici Magister, ad consilia Lutheri, Melanchthonis et Osiandri, adjuvantibus Episcopis Samelandiae et Pomesaniae, auxilio *Joh. Briesmanni*, *Pauli Sperati* et *Johannis Poliandri*, annuentibus insuper Ordinibus provincialibus, a. 1525—26, consentiente Rege Poloniae, se *Principem saecularem* et protectorem Evangelicorum, brevi tempore magno numero auctorum, declaravit. Addictus Augustanae Confessioni a. 1544 Universitatem *Regiomontanam* instauravit, qua effectum est, ut lux evangelii in *Curonia*, *Livonia* et *Polonia* accenderetur atque aleretur.

Chr. Hartknoch's Preussische Kirchengesch. 1686. 4.

(*Lilienthal*) Acta Borussica hist. eccles. 1730—32. Vol. I—III. 4.
D. H. Arnold's Kirchengesch. des K. Preussen. 1769. 8.
— — — Historie der Königsberg. Univers. Th. I. II.
Bock's merkwürdiges Leben Albrecht's. 1745. 8.
(*Rhesa*) De primis, quod dicunt, sacrorum Reformatoribus in Prussia; s. vita *Brismanni* et *Pauli Sperati*. P. I. II. 1825. 4.

§. 141.

A Ducibus *Megapolitanis* Henrico Pacifico et Johanne Alberto I. doctrina evangelica, cui jam ab a. 1523 plures pastores et coetus adhaeserant, a. 1550, consentientibus Ordinibus provincialibus, publice recepta, ab illo tempore, sine ulla turbatione, regnare coepit. Eodem fere modo ac successu res peracta in *Pomerania* a. 1534—35, a Ducibus Barnimo et Philippo, approbantibus Ordinibus provincialibus et moderante *Johanne Bugenhagen*. Aliter autem se res habuit in *Frisia Orientali*, ubi Comites Edzardus I. et Enno VI. eximii Lutheri admiratores jam a. 1520—28 ita reformationi favebant, ut Episcopus Monasteriensis omnem ibi jurisdictionem amitteret. Sed Anabaptistae et Reformati, qui ab a. 1527 irrepserant, magnum excitarunt dissidium, a. 1540 adhuc auctum, quum *Johannes a Lasco* in Liturgia tropum medium introduceret, qui, Reformatis non ab omni parte satisfaciens, Lutheranis autem prorsus displicens, diuturnae altercationis causam praebuit.

G. J. Mürk's Einleitung in die Schwerinische evangel. K. Gesch I. Abth. 1763. 8.
J. L. Voss die Verdienste der Herzoge von Mecklenburg um die Rel. u. deren Ausbreitung. 1790. 8.

J. G. L. Kosegarten de lucis evang. in Pomerania exorientis adversariis. 1830. 4.

J. Fr. Bertram's summarische Erzählung von der Reformat. in Ostfriesland. 1731. 4.

— — — erläuterte u. vertheidigte Ostfriesl. Ref.- u. Kirchengesch. 1738. 4.

— — — histor. Erweis, dass Ostfriesland zur Zeit d. Ref. der evang. lutherischen u. nicht der reformirten Kirche beygetreten sey. 1732. 4.

— — — historia crit. Johannis a Lasco.

Gittermann's Reform.-Gesch. von Ostfriesland im Ueberblick. Cf. Kirchenhistor. Archiv. 1824. H. 3. 1825. H. 2.

§. 142.

In regno *Daniae et Norwegiae* reformatio difficillimum minimeque laetum habuit exordium. Nam Rex *Christianus II.* ex avaritia et tyrannide potius, quam sincero veritatis amore, Lutheri doctrinam Episcopis et subditis quum obtrudere vellet, ita exosam illam fecit, ut post ejus expulsionem (a. 1523) novus rex *Fridericus*, Dux Holsatiae, ei addictus et a *Joh. Tausano*, Lutheri discipulo, adjutus, contra oppositionem Episcoporum et Monachorum nil posset efficere. Sed rex *Christianus III.* a. 1536 meliori successu, quamvis violentius, Episcopos et Monachos refragantes suppressit. Liturgiam et Ordinem ecclesiasticum *Johannes Bugenhagen*, per quinquennium (a. 1537—42) ex Universitate Vitebergensi evocatus, cum consensu Danorum, reformavit. Archiepiscopatu sublato Episcopatus retentus, sed ita modificatus, ut nomen, dignitas et officia *Episcoporum Lutheranorum* principiis Protestantismi non obsta-

rent, quae potius omni tempore a Danis non sine rigore sunt observata.

Jo. Grammii de reformatione Daniae a Christierno tentata. V. Script. Soc. Havn. histor. T. III.
Muhlius de reformat. Cimbr. v. Dissertat. hist. theol. p. 24 seqq.
E. Pontoppidan kurzgefasste Reform.-Historie der Daenischen Kirche. 1734. 8.
— — Annales eccl. Danicae. T. II. III.
Fr. Münter's Kirchengesch. von Daenemark u. Norwegen. Th. I. 1823. 8. Th. II. 1831. 8.
— — Magazin für Kirchengesch. u. Kirchenrecht des Nordens. Th. I. p. 123 seqq.

§. 143.

Eodem fere tempore ac modo sacrorum emendatio in regno *Sueciae* inchoata et consummata. *Gustavus Wasa*, jam a. 1519 Lubecae doctrinam evangelicam confessus, a. 1523 rex electus, adjuvantibus *Olao* et *Laurentio Petri* (*Peterson*), et *Laurentio Andreae* (*Anderson*), reformationem praeparavit, quae deinde variis Clericorum Synodis approbata et Ordinum regni decretis confirmata est: ita ut omne hoc negotium laudabili ordine et prudentia componeretur. Inde factum, ut post mortem Gustavi (a. 1560) conatus adversariorum, sub rege *Johanne III.* ad Papismum converso, et Jesuitarum machinationes nil efficere valerent contra fundamenta tam solide posita. Concilio Upsaliensi a. 1593 omnia non solum in integrum restituta, sed etiam ita aucta et roborata sunt, ut status ecclesiae Suecicae florentissimus, sine omni turbatione, ad praesens tempus duraret, utque Lutheranismus nullam haberet provinciam

tam fidelem ac puram, quam hoc regnum, cujus leges et statuta nullam aliam, quam Lutheranismi confessionem, admittunt.

J. A. Hartmann de Arcemboldo evangel. in Suecia reformat. occasione. 1731. 4.
Ol. Celsii Geschichte König Gustav's I. Th. I. II. 1749—55. 8.
J. G. Neumann de hist. reform. eccl. Suecicae. 1693. 4.
Joh. Loccenii historiae Succanae libri IX. 1676. 4.
— — Antiquitatum Sueo-Gothicarum libri III. Edit. IV. 1676. 4.
Jo. Baazii Inventarium eccl. Sueo-Gothicae. 1642. 4.
J. A. Schinmeyer's Lebensbeschreibung der drey Schwedischen Reformatoren Lorenz Anderson, Oluf Peterson u. Lor. Peterson. 1783. 4.
J. Chr. W. Augusti's Betrachtungen über die Reform. u. Kirchenverfassung in Schweden. 1816. 8.
Fr. W. v. Schubert's Schwedens Kirchenverfassung u. Unterrichtswesen u. s. w. Th. I. II. 1821. 8.

§. 144.

Sed renovata doctrinae et ecclesiae forma etiam in illis Germaniae regionibus ac provinciis, quae sub potestate Episcoporum vel Principum catholicae fidei maxime deditorum essent, multos nacta est amicos atque asseclas. Tales fuerunt in *Bohemia*, *Moravia*, *Stiria*, *Carinthia* et *Carniola*, ubi (quod mirum videri poterat) ipse Carolus V. et Ferdinandus I. Imperatores *Davidem Chytraeum* reformatorem agnoverunt atque adornarunt. Episcopatus *Hildesiensis* a. 1543 fere totus ad castra Evangelicorum transierat. Idem ex parte factum in Archiepiscopatu *Salisburgensi*, in Episcopatu *Herbipolitano* et *Bambergensi*, nec non in pluribus *Bavariae* partibus. Adeoque parum

abfuit, quin Archiepiscopatus *Coloniensis* hoc sequeretur exemplum, ex quo Elector *Hermannus* (a. 1536) et *Gebhardus* (a. 1577) publice ab ecclesia Romana defecerant.

Bernh. Raupach's evangelisches Oesterreich d. i. histor. Nachricht von den vornehmsten Schicksalen der evang. Kirchen in dem Erzherzogth. Oesterr. 1741. 4.

G. E. Waldau's Geschichte der Protestanten in Oesterreich, Steyermark, Kärnthen u. Crain, von 1520 bis auf die neueste Zeit. Th. I. II. 1784. 8.

J. B. Lauenstein's Hildesheimische Kirchen- u. Reform.-Historie. Th. I—XII. 1736. 8.

— — — Historia diplomatica Episcop. Hildes. 1749. 4.

J. G. Schelhorn's histor. Nachr. vom Ursprunge, Fortgang u. Schicksale der evangel. Rel. in den Salzburgischen Landen. 1732. 8.

J. B. de Gasparis Archiepiscoporum Salisburgensium res usque ad Westphalicos conventus in Lutheranismum gestae. 1780. 8.

C. G. Scharold Mart. Luther's Reformation in Beziehung auf das Bisthum Würzburg histor. dargestellt. H. I—III. 1825. 8.

V. A. Winter's Geschichte der Schicksale der evang. Lehre in und durch Baiern bewirkt in der ersten Hälfte des XVI. Jahrh. Th. I. II. 1809—19. 8.

Hermann's, Erzbischofs zu Cöln, einfältiges Bedenken, worauf ein christlich Reform anzurichten sey. Ed. III. 1545. 4. Latino sermone: Nostra Hermanni, Archiep. Colon., simplex ac pia deliberatio, qua ratione reformatio instituenda sit. Bonnae 1545. f. (Auctor *Mart. Bucerus* habetur.)

E. G. Dieterich de actis et fatis Gebhardi Truchsessii, Archiepisc. et Elect. Colon. 1745. 4.

Chr. G. Joecher Supplementum hist. Gebhardi etc. 1754. 8.

J. A. v. Recklinghausen's Reform.-Gesch. der Länder Jülich, Berg, Cleve, Meurs, Mark, Westphalen u. s. w. 1818. Th. I. II. 8.

P. Berg's Gesch. d. Reformation in den Ländern Jülich, Cleve, Mark, Ravensberg und Lippe; herausg. von *Tross*. 1826. 8.

§. 145.

Magnum denique Evangelicis attulit commodum atque incrementum, quod nobiliores *Respublicae et Civitates Imperiales* cum Principibus causam fecerunt communem. In hunc censum prae ceteris veniunt: *Argentoratensis*, *Norimbergensis*, *Reutlingensis*, *Hamburgensis*, *Bremensis*, *Lubecensis*, *Francofurtana*, *Heilbronnensis*, *Ulmensis*, aliaeque multae, quibus inclyta respublica *Gedanensis* sese adjunxit. Ejusmodi enim civitates hoc tempore erant sedes divitiarum et liberalioris consociationis ad litteras artesque excolendas. Itaque ab earum civibus multum poterat exspectari, fore ut conjunctis viribus novus ecclesiae status et conditio salutariter protegeretur.

Chr. G. Gumpelzheimer die evangel. Relig.-Gesch. des hohen Stift's Strassburg. 1794. 8.

A. Jung's Gesch. der Ref. der Kirche Strassburg's u. der Ausbreitung ders. in den Gemeinden des Elsasses. 1830. Th. I. 8.

G. G. Zeltner's Erläuter. der Nürnbergischen Schul- u. Ref.-Gesch. 1732. 8.

Müllner's Bericht von Aenderung der Religion in Nürnberg.

J. G. Füsing's Relation, wie es mit der Ref. der Stadt Reutlingen hergegangen. 1717. 8.

Nic. Staphorst's Hamburgische Kirchengesch. Th. I. II. 1724—29. 4.

C. H. Stark's Lubeca Lutherano-Evangelica, d. i. der Stadt Lübeck Kirchenhistorie. I. B. H. 1—5. 1725. 4.

§. 146.

Arctior autem ejusmodi consociatio eo magis erat necessaria, quo acrius Catholicorum studium ad celeriorem Protestantismi progressum, si fieri posset, reprimendum atque opprimendum. Variis id autem tentatum modis. I. Anathemate Romano et Proscriptione imperiali adversus Lutherum ejusque asseclas. II. Imperator *Carolus V.* a. 1520 electus, potentissimus in universa Europa princeps, reformationem vel ideo opprimere cogitavit, quia libertati Ordinum regni nimium favere videbatur. III. Dissidia domestica et politica inter Principum familias per novam doctrinam aucta et ab Imperatore et Pontifice cum astutia sustentata, concordiam magis magisque minuebant. IV. Consilium de confoederatione Catholicorum contra Protestantes, quam *Ligam sacram* dixerunt, jam antea conceptum, inde ab a. 1538 publice pronuntiatum. V. *Concilium oecumenicum* a Protestantibus diu efflagitatum tandem post multas tergiversationes, a 1545 Tridenti sub auspiciis et conditionibus tam infaustis inchoatum, ut Protestantibus nullo modo satisfacere posset. VI. *Jesuitarum Ordo* ab *Ignatio Loyola*, Hispano, institutus et a Paulo III. a. 1540 confirmatus, a primordio statim nullum alium habuit scopum, quam ut tanquam armamentarium contra Protestantes inserviret.

I. Excommunicationis decretum Romanum duplex a. 1520. et 1521. (*Riederer*) Geschichte der durch die Publication der päpstl. Bulle wider Luther'n 1520 erregten Unruhen. 1776. 4. Proscriptionis decretum

Imperiale d. d. VIII. Maji 1521. *J. G. Zimmer* Luther auf dem Reichstage zu Worms. 1821. 8.
II. *W. Robertson's* Geschichte Karl's V. übers. von *Remer;* 2. Ausg. Th. I—III. 1792—95. *J. F. Meyer* de morte Caroli V. evangelica. *Gerdesii* hist. reform. T. III. p. 247 seqq.
III. Exemplo sunt domus *Saxonica*, *Brandeburgica*, *Palatina*, *Brunsvicensis*, aliaeque.
IV. Ejusmodi erat consultatio Dessaviensis, auctore Georgio, Saxoniae Duce, a. 1525, cui se opposuit foedus Torgicum a. 1526. Rumor de *foedere Packiano* Luthero noxius. De pacto Norimberg. a. 1538 v. *Seckendorf* hist. Luther. lib. III. p. 171 seqq. *Hortleder* vom deutsch. Kriege. Th. I, B. VIII. c. 14. 15.
V. In Colloquio Wormatiensi (a. 1545) et Ratisbonensi (a. 1546) a Protestantibus expositum, cur Concilium Tridentinum non forum competens haberent. *G. Majoris* Bericht vom Colloquio zu Regensburg 1546. *Sleidani* hist. lib. XVI. p. 459 seqq.
VI. De Jesuitis v. infra.

§. 147.

Quod denique ad *Transactiones publicas* religionis causa susceptas attinet, ad sequentes potissimum erit respiciendum: I. Ad *Edictum Wormatiense* a. 1521. II. *Comitia Spirensia* a. 1529, quae novae doctrinae propugnatoribus nomen *Protestantium* dederunt. III. *Comitia Augustana*, in quibus d. XXV Junii 1530 *Augustana Confessio*, magna illa Protestantium charta, praelecta atque exhibita est. IV. Comitia Norimbergensia a. 1532, quae *Pacem de religione*, usque ad Concilium oecumenicum, promiserunt. V. Conventus Principum Schmalcaldensis a. 1537, in quo *Articuli Schmalcaldici* a Luthero exhibiti et

a Theologis selectis approbati sunt. VI. Comitia Ratisbonensia a. 1546, quae bellum contra Protestantes tanquam *bellum sacrum* pronuntiarunt. VII. *Interim Augustanum et Lipsiacum* a. 1548. VIII. *Pactum Passaviense* a. 1552. IX. Comitia Augustana a. 1555, ubi solemnis et perpetua *Pax de religione* sancita est.

I. *Ge. Spalatin's* kurze Nachricht vom Reichstage zu Worms. V. *Kapp's* Nachlese. Th. II. *Sleidani* hist. lib. III. p. 67 seqq.

II. *J. J. Müller's* Historie von der evangel. Stände Protestation u. Appellation wider u. von dem Reichstage zu Speyer. 1705. 4. *Sleidani* hist. lib. III. p. 171.

III. *G. Coelestini* historia Comitiorum August. T. I—IV. 1577. 4. *E. G. Hoffmann's* Betracht. der auf dem R. T. zu Augsburg vorgefallenen Actorum relig. 1730. 4. *Dav. Chytraei* ausführl. Bericht von Augsb. Confession. 1576. 4. ed. 2. 1580. *E. S. Cyprian's* Hist. d. Augsb. Conf. 1730. 4. ed. 3. 1731. 4. *Chr. A. Salig's* vollst. Historie der A. C. Th. I—III. 1730—35. 4. *G. G. Weber's* krit. Gesch. der A. C. Th. I. II. 1783—84. 8. *H. W. Rotermund's* Gesch. des auf dem R. T. zu A. übergebenen Glaubensbekenntnisses u. s. w. 1829. 8. *A. F. Holst* Denkwürdigkeiten aus der Gesch. der A. Conf. 1829. 8. Idem argumentum tractarunt *C. Fickenscher* (1830), *C. Pfaff* (1830), *Ge. Veesenmeyer* (1830) aliique.

IV. Quam parum profuerit haec pacis rel. promissio, docent *Sleidanus* hist. lib. VIII. p. 247., *Hortleder* Th. I. B. I. c. 10—12. et *Planck* T. III. P. I. p. 215 seqq.

V. *Fr. Balduini* Tract. de articulis Schmalcaldicis. *Bertram's* Gesch. des Anhangs der Sch. Art. Ed. *Marheinecke* e cod. Palat. 1817. 4.

VI. In Comitiis Ratisbonensibus non omnes Principes catholici bellum sacrum et foedus Imperatoris cum Pontifice probarunt. *Sleidani* hist. lib. XVI. XVII.

VII. *J. E. Bieck* das dreyfache Interim, so in Regensburg (1541), Augsburg u. Leipzig (1548) zur Vereinigung der päpstl. u. evang. luther. Lehre zum Vorschein gekommen. 1721. 8. *J. A. Schmid* historia interimistica. 1730. 8.

VIII. *Gerstlacher's* Gesch. des Passauer Vertrags in Corp. jur. germ. publ. P. II. c. 1. *Noesselt* admiranda singul. provid. div. vestigia in vindicanda per pacem Passav. 1552 et Augustanam 1555 sacrorum Evang. libertate. 1755. 4. V. Comment. ad hist. eccl. pertin. P. III. p. 199 seqq.

IX. *Lehmann* Acta publ. et orig. de pace rel. T. I. *Schilter* de pace religiosa. 1700. 8.

PERIODUS SECUNDA.

A pace Augustana de religione usque ad pacem Guestphalicam, a. 1555 — 1648.

---

§. 148.

Pacificatio Augustana post multas difficultates et transactiones mense Septembr. 1555 feliciter peracta inter res praeclaras in ecclesia recentiori gestas primum obtinet locum. Nam ex illo tempore Ecclesia Evangelicorum, sanctione pragmatica et legibus Imperii tanquam legitima declarata, jura et privilegia societatis ecclesiasticae et ecclesiae rite et legitime constitutae obtinuit. Ex jure igitur publico instrumentum hujus pacis verum ac genuinum est fundamentum, in quo universae ecclesiae Germanicae, inprimis autem Evangelicae,

posita est constitutio. Hoc tamen bene tenendum, tunc temporis non *tres*, sed *duas* tantum *Confessiones*, Catholicorum et Protestantium s. Evangelicorum, statutis et legibus Imperii fuisse confirmatas: id quod paulo post innumeras difficultates excitavit, et statum rerum ecclesiasticarum non uno nomine immutavit.

Haeberlin hist. de Reservato ecclesiastico ex mente pacis relig. ejusque effectibus et fatis usque ad pacem Westphalicam. 1755. 4.
Ueber den Geist des Religions-Friedens. V. *Henke's* Magaz. für Rel. Philos. Exeg. u. Kirchengesch. III. B. 3. St.

§. 149.

Pax Augustana bellum quidem sacrum, sed neutiquam *controversias de religione* et *studium polemicum* suppressit; utrumque potius denuo excitavit. Largissimam controversiarum materiam praebuit *Concilium Tridentinum*, quod, post varios casus et fata iniqua, a. 1563 sua Decreta, quibus paulo post Catechismus Tridentinus s. Romanus adjunctus est, in publicum emisit. Hoc Concilio, quod sine causa titulum oecumenici sibi arrogavit, Schisma perpetuum inter Catholicos et Protestantes pronuntiatum, ejusque Decreta fundamentum fuerunt, contra quod Theologi evangelici aciem suam dirigere possent. Ex illo tempore omnes utriusque ecclesiae controversiae a libris symbolicis Evangelicorum et a canonibus Tridentinis Catholicorum pendebant.

Mart. Chemnitii examen Concilii Tridentini. T. I—IV. 1565. Ed. Francof. 1707. f.

Ge. Calixti consideratio doctrinae Pontificiae juxta ductum Concilii Tridentini. 1654. 4.

Chr. Dreieri Controversiae cum Pontificiis praecipuae. 1688. 4.

J. A. Scherzeri Anti-Bellarminus. 1708. 4.

§. 150.

Graviores autem exortae sunt inter ipsos *Lutheranos* controversiae theologicae. Ejusmodi erant altercationes de *Antinomismo*, de *Synergismo*, de *peccato originali*, de *persona Christi*, et *de Adiaphoris*, quae animos mirum in modum exacerbarunt et pacem internam turbarunt. Quae cum ita essent, consilium, quo nonnulli prudentiores et pacifici viri de reconciliandis Theologorum litigantium animis cogitabant, valde approbandum. Inter hos prae ceteris laudandus *Jacobus Andreae*, qui inde ab a. 1569 indefesso et fere incredibili ardore opus pacificum aggressus, tandem, cum auxilio quinque Theologorum praeclarorum et cum ipso in reconciliationis negotio conspirantium et sub praesidio multorum Principum et Magistratuum evangelicorum, a. 1577 *Formulam Concordiae* perfecit, a. 1580 legis instar solemniter propositam. Non tulit hoc Henoticon omnium plausum nec prorsus omnibus fautorum exspectationibus satisfecit, adeoque tam largam novarum rixarum materiam suppeditavit, ut ab adversariis non solum *Concordia discors*, sed etiam *Formula discordiae* vocaretur: nihilominus pacis studium et consilium, quo ferebantur auctores, semper laudandum et ipsa Formula Concordiae inter praestantissima Theologorum scripta publica est referenda.

C. L. Nitzsch de Antinomismo Joh. Agricolae. P. I. II. 1804. 4.
Weismann de Vict. Strigelio. V. Miscell. Duisburg. T. I. p. 703 seqq.
Joh. Wigand Manichaeismus renovatus. 1564. 4.
Mart. Chemnitii liber de duabus in Christo naturis. 1570. 8.
Lamb. Danaei examen libri Chemnitii etc. 1581. 8.
De *lite adiaphoristica* et *interimistica* v. *J. G. Walch's* Rel.-Streit. in d. Luth. Kirche. Th. I. p. 115 seqq. *Planck's* Gesch. der protest. Theologie. Th. I. p. 174 seqq.
J. N. Anton's Geschichte der Concordien-Formel. Th. I. II. 1779. 8.
Rud. Hospiniani Concordia discors. 1607. f.
Leonh. Hutteri Concordia concors. 1614. 4.
Auctores libri Torgici et Formulae Bergensis fuerunt: *Jac. Andreae*, *Mart. Chemnitius*, *Dav. Chytraeus*, *Nicol. Selneccerus*, *Andr. Musculus*, *Christ. Cornerus*. Subscripserunt Formulae tres Electores, viginti duo Principes, viginti sex Comites, triginta septem Civitates et plus quam octo millia Theologorum et Pastorum.

§. 151.

Nil magis in hoc negotio dolendum, quam quod nova dissensus et disjunctionis inter Lutheranos et Reformatos praebebatur occasio. Jam in eo esse videbatur, ut Reformati, postquam in doctrina de sacra coena in Confessionibus publicis novam potius Calvini et Bezae, quam Zwinglii et Oecolampadii sententiam exprimere coeperant, propius ad Lutheranorum dogma accederent. Nunc vero discordia denuo gliscere coepit, quam frustra *Jacobus Andreae* et *Theodorus Beza* in Colloquio Montisbelligardensi (Mompelgardensi) a. 1586 reconciliare studuerunt. Turbae propter

Crypto-Calvinismum in Saxonia ortae tantum effecerunt, ut ineunte saec. XVII. Protestantes facilius cum Catholicis quam inter se concordare vellent. *Synodus Dordracena* a. 1618—19 habita eandem, quae Lutheranis exprobrata est, inter Reformatos zelotypiam et malam rixandi libidinem manifestavit.

Jac. Andreae Acta Colloquii Montis Belligard. 1587. 4.
Theod. Bezae responsio ad Acta Colloq. Montisbel. 1588.
Val. Loescher historia motuum zwischen den ev. Luther. u. Reformirten. Th. III. p. 143 seqq.
J. R. Kiessling Fortsetzung der historia motuum u. s. w. 1770. 4.

§. 152.

Eodem fere tempore, quo sacra emendari coeperant, in multis Europae partibus plures ortae sunt *Sectae minores*, quae, etsi in oppugnanda Hierarchia Romana cum Evangelicis causam communem facientes, in ipsis tamen principiis Theologiae chr. de revelatione et rationis usu longe ab illis recedebant. Inter ejusmodi dissidentium familias non admodum numerosas illa maximam consecuta est famam, quae *Socinianorum* s. *Unitariorum* vel *Antitrinitariorum* nomen tulit. Utriusque quidem Confessionis evangelicae Theologi et scriptis et factis testati sunt, se ejusmodi cogitandi licentiam et rationis usum prorsus improbare. Astutia et artibus tamen *Jesuitarum*, quibus discordiae semina spargere solebant, factum est, ut nova ecclesia ob Socinianorum dogmata, a quibus tamen semper abhorruit, apud Catholicos male audiret.

F. S. Bock historia Antitrinitariorum, maxime Socinianismi et Socinianorum. T. I. II. 1774—84. 8.
G. Feller Dissert. de Unitariis hujus saeculi. 1694. 4.
J. Fr. Buddei de origine Socinianismi in ecclesia emendat. non repetenda. 1725. 4.

§. 153.

Rebus igitur apud Evangelicos dissidiis et calamitatibus internis valde perturbatis, infaustum illud accidit bellum, quod inde ab a. 1618 per triginta annos flagravit et universam Germaniam misere devastavit. Tanta erat inter Ordines Imperii Evangelicos discordia, ut confoederationi Catholicorum (quae *Liga catholica* dicitur) a. 1609 a Maximiliano, Duce Bavariae, conflatae et ab Imp. Ferdinando II. sustentatae, conjunctis viribus nullo modo se opponere possent. Itaque factum est, ut a. 1629 illud *Edictum restitutorium*, de restituendis omnibus bonis ecclesiasticis, prodire et armorum vi promulgari posset. Hoc edictum Evangelicis tot attulit detrimenta, ut actum fere de ipsis esse videretur, nisi eodem anno *Gustavus Adolphus*, Rex Sueciae, libertatis Germanicae egregius vindex, victricibus suis armis praeponderantem Imperatoris et Confoederatorum potestatem infringere coepisset.

Struvii Corpus histor. Germ. T. I.
Edictum restitutorium in *Londorpii* Act. publ. T. III. p. 1048 seqq. et *Car. Carafae* Germania sacr. restaur.

§. 154.

Gloriosa magni hujus Regis mors apud Lucenam (a. 1632) nullum Evangelicis in Germania

attulit damnum. Sueci enim, sub praesidio *Axelii Oxenstiernae* et Gallorum subsidiis sublevati, fortiter bellum continuarunt, tandemque, post varios fortunae bellicae casus, a. 1648 Pace Monasteriensi et Osnabrugensi feliciter finierunt. Hac pace libertas ecclesiae evangelicae vindicata et stabilita est, ac Reformatis cum Lutheranis et Catholicis eadem jura concessa, ita ut ab illo tempore tres Confessiones in Germania, revocato edicto restitutorio, publicum religionis exercitium ea forma obtinerent, qua a. 1624 (qui *annus normalis* dictus) gaudebant. Singulis Ordinibus Imperii *jus reformandi* confirmatum, et Principibus evangelicis bona saecularia Monasteriorum et Episcopatuum sublatorum addicta. Quae quidem omnia solemni Sueciae et Galliae sponsione majorem firmitatem et cautionem obtinuerunt.

Tob. Pfanneri hist. pacis Guestphal.
J. G. de Meyern Acta pacis Westphal. et execut. Norimberg. T. I—XI.
St. Pütter's Geist des Westphäl. Friedens. 1795. 8.

PERIODUS TERTIA.

A pace Guestphalica usque ad nostra tempora, a. 1648—1830.

---

§. 155.

Pacificatione quidem Guestphalica publicus Evangelicorum status ita restitutus et firmatus est, ut de securitate atque incolumitate nullo modo de-

sperandum. Nihilominus varia expertus est fata, quibus ecclesia evangelica vel prosperavit, vel detrimentum et deminutionem est passa. Fides historica postulat, ut haec fata, sive externa, sive interna, sine praejudicio et partium studio exponamus, utque bona et fausta sincere et libenter recenseamus, sed et iniqua et adversa non silentio praetereamus. Id tamen monendum, pro consilio nostro ad res externas potissimum esse respiciendum, quum res internae ad historiam Theologiae et dogmatum potius sint referendae.

De historia religionis et theologiae evang. consulendi sunt libri *J. G. Walchii* (hist. u. theol. Einleitung in die Rel.-Streitigkeiten in u. ausser der ev. Kirche), *G. J. Planckii* (Gesch. der protest. Theologie. Th. I—V.), *S. J. Baumgarteni* (Einleit. in die theol. Streitigkeiten; ed. *J. S. Semler.* T. I—III. 4.) aliorumque.

§. 156.

Quod autem ad statum externum attinet, inter ejus fata iniqua haec prae ceteris recensenda esse videntur:

I. In provinciis Imperatoris potestati subjectis, quam maxime autem in *Hungaria* et *Silesia*, ubi a primis statim annis veritas evangelica altas egerat radices, Protestantes saepius vexati atque adflicti, culpa maxime Jesuitarum, quippe qui jura et privilegia Protestantibus pace Guestphalica concessa ad has provincias pertinere negarent et Imperatores ad promissa et pacta violanda impellerent. Anni **1650, 1671, 1681, 1691, 1715, 1731,** prae ceteris Protestantibus in Hungaria infausti. Iidem etiam recentiori tempore, sub ipsis auspiciis

Mariae Theresiae et Leopoldi II. non omnis vexationis expertes.

P. Ph. Wolf's Gesch. der Veränderungen in dem rel. u. kirchl. Zustande der Oesterr. Staaten unter Joseph II. 1795. 8.

(*M. Thekusch*) Gesch. der ev. luth. Kirche in Ungarn von Anfang der Reform. bis Leopold II. 1794. 8.

Zuverl. Nachr. über den gegenw. traurigen Zustand der Rel. der Protest. in Ungarn. V. *Städlin's* Magazin für Rel.-Gesch. II. B. p. 32 seqq. IV. B. p. 89 seqq.

§. 157.

II. In *Gallia* status Reformatorum, qui ibi *Hugenotti* dicti et jam dudum vexati, miserrimus esse coepit, ex quo Ludovicus XIV. a. 1685 *Edictum Nannetense*, quo Henricus IV. a. 1594 plenissimam religionis libertatem concesserat, non minori imprudentia quam crudelitate revocavit. Omne religionis evangelicae exercitium interdictum, templa clausa et diruta, et innumeri homines ob religionis confessionem in carceres conjecti vel ad supplicium ducti. Plus quam decies centena millia, relictis bonis et amicis, e patria migrarunt et in Germania, Anglia et Batavia asylum quaesiverunt. Multi a confessione evangelica defecerunt et catholicae ecclesiae nomen dederunt. Lutherani in Alsatia et Lotharingia mitius tractati, non tamen turbatione prorsus carentes. Tempore revolutionis per quinquennium omnis cultus christianus cessavit; postea status ecclesiasticus per totam Galliam renovatus et immutatus; sed post restaurationem Dynastiae Borbonicae a. 1815 et 1816

in Gallia meridionali multa adhuc veteris odii superesse vestigia, variis occasionibus probatum est.

F. E. Rambach's Schicksale der Protestanten in Frankr. aus d. Französ. Th. I. II. 1759—60. 8.

(*Rulhières*) Eclaircissements hist. sur les causes de la revocation de l'Edit de Nantes, et sur l'état des Protestants en France. T. I. II. 1788. 8.

De St. Aignan l'état des Protest. en France depuis XVI siécle, jusqu'a nos jours. 1817. 8.

Die Hierarchie u. ihre Bundesgenossen in Frankreich. 1823. 8.

§. 158.

III. In *Polonia* Pax Dissidentium a. 1573 promulgata, saepius violata, Protestantibus utriusque Confessionis et Graecis, qui Dissidentibus annumerati sunt, nullum firmum praesidium parare poterat. Jura et privilegia legibus regni ipsis concessa, vi et artibus Jesuitarum erepta, ita ut Dissidentes nec ad Diaetam nec ad munera publica admitterentur, saepiusque in religionis exercitio turbarentur. Ipsa Russorum intercessio a. 1717, 1724, 1733 et 1768 non multum relaxationis attulit: itaque factum est, ut ad causas politicas, quae divisionem et interitum regni Polonici suaserunt, ea quoque, quae ab intolerantia desumta esset, accederet.

Die Schicksale der Polnischen Dissidenten von ihrem ersten Ursprunge an bis auf die jetzige Zeit. Th. I—III. 1768—70. 8.

Büsching's neueste Gesch. der Evang. beider Confessionen in Polen u. Litthauen. Th. I—III. 1784—87. 4.

§. 159.

IV. In *Britannia* diversam invenimus religionis et ecclesiarum rationem et conditionem. In hoc enim regno inde a fine saec. XVI. Protestantismus ita praevaluit et regnavit, ut ecclesia catholica, quam familia regia Stuartorum frustra protegebat, fieret ecclesia pressa: id quod in *Hibernia* usque ad nostros dies perduravit. Sed controversiae inter Episcopales et Puritanos et inter illos, qui Independentes et Dissentientes dicti sunt, pacem et salutem reipublicae non minus quam ecclesiae turbarunt. *Olivierius Cromwellus*, Angliae Protector (a. 1653—1658), praecipuus harum turbarum, quae tam diu hoc regnum lacerarunt, auctor et patronus habendus.

De his v. infra Loc. III.

§. 160.

V. Inter maxima scandala erat referendum, quod in Archiepiscopatu *Salisburgensi* Protestantes, cum gravissima legum Imperii violatione, vario nomine vexabantur, ita ut ab a. 1731—1740 plus quam triginta millia e patria migrare cogerentur. Durior adhuc eorum sors fuisset, nisi Corpus Evangelicorum et Fridericus Guilelmus I., Rex Borussiae, intercedendo et cogendo eam mitigassent. Exulantes maximam partem in Borussia atque America septentrionali novam patriam et religionis libertatem invenerunt.

J. G. Schelhorn de relig. evang. in provincia Salisburg. ortu et progressu et fatis. 1732. 4.

K. Panse's Gesch. der Auswanderung der evangel. Salzburger im J. 1732. nach den Quellen. 1827. 12.

§. 161.

VI. In *Palatinatu* Protestantium conditio tristissima esse coepit, ex quo, Carolo Electore mortuo (a. 1685), Electoratus ad Dynastiam Neoburgicam, catholicae confessioni addictam, devenerat. Reformati quidem, quorum numerus praevaluit, gravius vexationis pondus experti; sed Lutherani quoque haud mediocriter adflicti. Itaque factum, ut Gravamina Palatina de religionis exercitio in Diaeta Ratisbonensi nunquam cessarent. Reges Borussici saepius, recentissime a. 1781, 1787 et 1793, intercessione, minis et vi mutua, tantum effecerunt, ut Evangelici meliori gauderent fortuna.

Oertel's Repertorium der gesammelten Religions-Beschwerden bey dem Corp. Evangel. u. s. w. 1770. f.
J. St. Pütter's systemat. Darstellung der Pfälzischen Rel.-Beschwerden u. s. w. 1793. 8.

§. 162.

VII. Defectus *Friderici Augusti*, Electoris Saxoniae, ad partes Catholicorum (1697), Regni Polonici causa, omnes Evangelicos non solum dolore, sed etiam timore adfecit. Commoda quidem, quae Romanenses ab hoc exemplo exspectaverant, erant vel exigua vel nulla; nam defectus hujus principis in Saxonia imitatores habuit nullos, et status ecclesiae Saxonicae in sua integritate mansit. Elector enim ejusque Successores stipulatione so-

lemni et jurejurando plenissimam religionis evangelicae libertatem promiserunt et ab omni regiminis ecclesiastici exercitio sese abdicarunt. Attamen non sine variis molestiis et diffidentiae signis haec causa evasit, idque potissimum effecit, ut ea, quae ad doctrinam et disciplinam spectarent, formam in Saxonia induerent paulo rigidiorem et tenaciorem.

Acta histor. eccles. B. I. p. 132 seqq.
Lünig's Reichs-Archiv. P. IV. p. 239 seqq.

§. 163.

VIII. Idem fere valet de aliis Germaniae provinciis, quarum principes ecclesiam, in qua nati et educati erant, desererent et ad alteram se converterent. Exempla illustriora haec fere sunt: 1) Dux Würtembergicus *Carolus Alexander* a. 1713 conversus et a. 1733 successor Ducis Eberhardi Ludovici factus. 2) *Fridericus*, Princeps Hasso-Casselanus a. 1749 clam conversus et a. 1760 successor Guilelmi VIII. admissus. 3) *Mauritius Guilelmus*, Dux Saxoniae et Episcopatus Ciziensis administrator, a. 1717 conversus, sed a. 1718 ad ecclesiam evangelicam reversus. 4) Nostris diebus *Christianus*, Dux Anhaltino-Coethensis, et *Fridericus IV.*, Dux Gothanus, ad Catholicismum conversi, sed ita, ut status subditorum evangelicorum in nulla parte mutaretur.

De conversione *Christinae*, Reginae Sueciae, aliarumque illustrium personarum, nec non hominum doctorum, v. *Schroeckh's* Kirchengesch. seit der Reform. Th. VII. p. 64 seqq.

J. C. G. Dressel n. Beytrag zur Gesch. der geheimen Proselytenmacherey d. Kathol. in protestant. Ländern. Th. I. II. 1787. 8.

W. T. Krug's neueste Gesch. der Proselytenmacherey in Deutschland. 1827. 8.

§. 164.

Quodsi vero ad fata secunda attendimus, haec potissimum recensenda habemus:

I. *Comitia Imperii Germanici perpetua*, quae a. **1663** Ratisbonae instituta usque ad a. **1806** sine interruptione durarunt, id habuerunt commodi, quod omnia negotia ad pacem et concordiam mutuam spectantia facilius et citius transigi et componi poterant. Majus adhuc commodum enatum ex consociatione illa Ordinum Evangelicorum, legibus Imperii confirmata, quae *Corpus Evangelicorum* dicta. Origines hujus Collegii jam a. **1522**, **1528**, **1529** et **1531**—**1532** quaerendae, ejusque Directorium vicissim apud Electores Saxonicos et Palatinos, nec non apud Gustavum Adolphum, Regem Sueciae, ejusque Cancellarium fuit. Inde ab a. **1653** constanter Electoribus Saxoniae demandatum, qui usque ad dissolutionem Imperii **1806** vel ipsi, vel per delegationem et mandatum, exercuerunt. Restaurationem non uno nomine optandam frustra exspectavimus.

J. St. Pütter's histor. Entwickelung der heutigen Staatsverf. des deutschen Reiches. Th. I. II.

E. L. Posselt historia corporis evangelicorum. 1784. 8.

H. W. v. Bülow über Gesch. u. Verfassung des Corporis Evangelicorum. 1795. 8.

§. 165.

II. *Status Regni Borussici florentissimus.* Hoc enim regnum, quod ipsas suas origines Reformationi debet, omni tempore et constanter Evangelicorum partes tueri non cessavit. Electores *Johannes Siegismundus* et *Fridericus Guilelmus*, et Reges *Fridericus I.*, *Fridericus Guilelmus I.* et *Fridericus II.* non solum Reformatorum, sed etiam Lutheranorum commodis pari aequitate prospicere studuerunt seque ab omni partium studio liberos gesserunt. Ejusmodi autem patrocinium ecclesiae evangelicae in Germania eo salubrius accidit, ex quo a regni Suecici potestate debilitata et collapsa non multum auxilii et praesidii exspectare illa poterat. Nostris diebus *Fridericus Guilelmus III.*, Rex religiosissimus, si quis alius, titulo *Defensoris fidei* ornandus.

(*J. G. F. Ulrich*) über den relig. Zustand in den Preussischen Staaten seit Friedrich d. Gr. 1778—80. Th. I—V. 8.
D. H. Hering's Beytr. zur Gesch. der ev. ref. Kirchen in den Preuss. Brandenburg. Ländern. 1784—85. Th. I. II. 8.
— — — neue Beytr. 1786. Th. I. II. 8.
Plura dabunt libri a *Pufendorfio*, *Gallo*, *Buchholzio*, *Mansone*, *Poelitzio* aliisque de historia Borussica scripti.

§. 166.

III. Mirum sane videri possit, si quis etiam *Revolutionem Gallicam*, malum illud, quo vix nocentius ullum, inter eventus salutares referre ve-

lit. Id tamen jure meritoque fieri, experientia docuit; nam provida Dei cura factum est, ut denuo confirmaretur biblica sententia: Homines cogitarunt malum, sed Deus vertit illud in bonum (Genes. L, 20). Novus rerum ordo post illam *καταστροφὴν* restitutus non solum in Gallia, sed etiam in aliis regnis, ecclesiae catholicae faciem et statum ita mutavit, ut ecclesia evangelica jura et commoda obtineret, de quibus antea ne cogitari quidem poterat.

G. J. Planck's Gesch. der kirchlichen Revolution in Frankreich. V. Neueste Rel.-Gesch. Th. III. 1793. 8.
Ph. C. Reinhard: neue Organisation des Religionswesens in Frankreich. 1802. 8.
Beaufort Projet de reunion de toutes les communes chretiennes. 1806. 8.
(*v. Dalberg*) de la paix de l'eglise dans les états de la Confederation Rhenane. 1810. 8.

§. 167.

IV. In hunc censum prae ceteris veniunt *pacificationes* et *pacta publica* a. 1805—1809, quibus in Austria, Polonia, Italia et nonnullis partibus Germaniae status Evangelicorum melior factus. Latius autem in causa religionis patet *foedus* illud *sanctum* (*la sainte Alliance*), quo a. 1815, praeeuntibus Imperatoribus Russiae et Austriae nec non Rege Borussiae, omnes fere totius Europae principes arctiori se conjunxerunt vinculo. Itaque factum est, ut de *republica illa christiana*, quae jam Henrico IV., Regi Franciae, in animo et votis fuerat, serius cogitari posset, atque futuro tempore, favente Deo, uberiores et laetio-

res fructus ab ejusmodi pia confoederatione exspectari possent.

Archiv des heiligen Bundes; enthaltend die denselben betr. Actenstücke, Literatur, Nachr. u. Urtheile. H. I. 1818. 8.

§. 168.

V. Quod a. 1809 *territorium Pontificis Romani* ad alium Dominum transiit, et *saecularisationem*, quod ajunt, expertum est, inter res et eventus haud minimi momenti referendum. Nam etsi paulo post a. 1814 omnia in pristinum statum restituta sunt, hoc tamen exemplo denuo demonstratum est, auctoritatem et dignitatem Pontificis non pendere a territorio, et de salute ecclesiae catholicae non esse desperandum, si ejus Praesul vel extra Romam sedem suam habeat. Id quoque non silentio praetereundum, Pontificem Romanum Borussorum, Anglorum, Russorum et Suecorum armis, cum Austria cooperantibus, esse restitutum.

Reflexions sur la conduite de Pie VII. depuis son retour a Rome en 1814.
Guadet Esquisses histor. et polit. sur le Pape Pie VII. Par. 1824. 8.

§. 169.

VI. Quae nostris diebus in *Austria* facta sunt, ea majori jam ex parte *Josepho II.*, Imperatori, debentur. Is enim a. 1781 solemni Edicto, quod a Tolerantia nomen habet, omnibus

regni sui subditis liberrimum religionis exercitium promisit. Idem leges plures tulit de minuendis et reformandis Monasteriis, de processionibus et peregrinationibus sacris, de indulgentiis et dispensationibus Episcoporum, de placito regio, et aliis rebus ecclesiasticis, in quibus abusus deprehendebatur. Ipse quidem, adversam expertus fortunam, laborum suorum fructus non vidit, sed semen sparsit posteritati salutiferum.

Vollständige Sammlung aller Schriften auf Veranlassung der Toleranz- und Reformations-Edicte. Wien. 1782.
Darstellung der durch Joseph II. entstandenen Verfassung der Protestanten in Wien. 1799.
Milbiller's Gesch. Deutschlands unter Joseph II. u. Leopold II. 1806. 8.

§. 170.

VII. Nec defuerunt inter Evangelicos, qui *de propaganda inter Judaeos, Muhamedanos et Gentiles veritate et ecclesia evangelica* cogitarent, et *Missionibus*, quas dicunt, operam darent. Praeclare de hac parte meruerunt plures principes pii, inter quos *Ernestus Pius*, Dux Gothanus, *Fridericus IV. et V.* Rex Daniae, prae ceteris laudandi, quod suo exemplo etiam nostro tempore plures excitarunt. Quod viri singuli in hoc religionis negotio prosperrimo gaudebant successu, id quam maxime debetur Societatibus et Congregationibus ad hunc finem in Dania, Batavia, Britannia, Helvetia et Germania institutis, quae omni studio et conjunctis viribus id agunt, ut τοῖς ἔξωθεν verbum Dei ex ipso genuino scripturae sacrae fonte annuntietur. Quanto id fiat

etiam nostris diebus ardore et successu, neminem fugit.

Nachrichten von Ausbreitung des Reichs Jesu Chr. überh. u. durch Missionarien unter den Heiden insbes. 1815. 8.
Knapp's Abriss einer allg. protestant. Missionsgesch. V. Geschichte der ev. Missions-Anstalten. 1816. St. 66.
Stäudlin's kirch. hist. Archiv. I. B. I. H.
Uebersicht der Gesch. der neuen Missions-Anstalten u. ihrer Wirksamkeit. 1825. 8.

§. 171.

VIII. Inter omnia tamen, quae ecclesia evangelica experta est, fata secunda et commoda primum occupat locum *consociatio illa Lutheranorum et Reformatorum in unam Evangelicorum familiam.* Tempore Jubilaei tertii (bis repetiti a. 1817 et 1830) factum est, quod pacis et concordiae amici saec. XVII et XVIII, quamvis in votis et desideriis haberent, sperare tamen non auderent. Sine effectu enim fuerant non solum singulorum Theologorum, Magistratuum et Principum consilia et conamina reconciliatoria, sed etiam Synodorum decreta. Colloquia charitativa: *Lipsiacum* (a. 1631), *Thorunense* (a. 1645 ad componendas lites inter Catholicos, Lutheranos, Reformatos et Fratres Bohemicos) et *Casselanum* (a. 1661) dissensum doctrinae fundamentalem et unionis obstaculum agnoverunt nullum; sed frustra, tempore nondum maturo et animis nondum satis praeparatis. Et nunc quoque hoc negotium inchoatum quidem felicius, quam antea, sed non-

dum ab omni parte peractum. Id tamen a pluribus, etiam ab his, qui unionem non solum externam, sed potius internam desiderant et postulant, intelligitur: *vis unita fortior!*

Rabaut de Jeune details hist. et recueil de pieçes sur les divers projets de reunion de toutes les communions chretiennes. Par. 1806. 8.
C. F. Preiss: die Vereinigung, oder das beste Annäherungs-Mittel für alle chr. Confessionen. 1811. 8.
E. G. Boeckel's Ireneon. B. I. II. 1821—25. 8.

§. 172.

Inter fata autem adversa, quibus *status ecclesiae internus* turbatus est adhucque turbatur, haec prae ceteris in censum veniunt: I. Exitiabilis Theologorum *φιλονεικία* et rabies, quam jam Melanchthon moribundus deploraverat, variis occasionibus, inprimis autem in controversia *Syncretistica* et *Pietistica* erumpens, et nunc quoque non prorsus suppressa. II. Morum corruptio, quae bellum triginta annorum insequuta, et ex Gallia promanans Germaniam quoque, armis primum Ludovici XIV., deinde Republicanorum misere laceratam, vario modo contaminavit. III. Legislationis et disciplinae ecclesiasticae imminuta vel abrogata auctoritas, legum atque institutionum politicarum prohibitione et derogatione, nec non juris territorialis abusu. IV. Librorum symbolicorum vel laxa observatio, vel negligentia. V. Extrema et perpetuae *ἐναντιώσεις* in ipsis religionis et theologiae principiis, rationis et libertatis usus varius ac perversus, quo vel *νεολογίας* immodicum

studium, vel παλαιολογίας praejudicata dilectio alebatur adhucque alitur.

Abrah. Calovii historia syncretistica d. i. christl: wohlgegründetes Bedenken über den lieben Kirchenfrieden. 1682. 4. *M. Rango* historia syncretistica. 1674. 12. *Walch's* Einleit. Th. I. p. 219 seqq. *Ph. J. Spener's* wahrh. Erzählung dessen, was wegen des sogenannten Pietismi in Deutschland vorgegangen. 1697. 12. *Walch's* Einl. Th. I. p. 547 seqq. Th. II. p. 1018 seqq. Th. V. p. 1 seqq.

§. 173.

Ex parte autem opposita inter *Hilaria evangelica* (ut veteres Theologi laetos eventus dicebant) haec potissimum sunt referenda: I. Studia et instituta pietatis, quibus multi viri docti et probi, sine rationis et libertatis christianae detrimento, sincerum religionis et virtutis amorem atque exercitium foverunt, veramque Theologiam a Scholarum philosophicarum et theologicarum subtilitatibus atque argutiis vindicarunt. II. Cura indefessa ac prudens, qua plures inter Principes et Politicos Germaniae litterarum studium, virtutis et pietatis exercitium, et pacis conservationem adjuvarunt. III. Sincerum ac modestum studium a scriptoribus praeclaris praeteriti nostrique saeculi, in oppugnanda superstitione, stabilienda veritate et defendenda justa cogitandi et docendi libertate, manifestatum. IV. Major diligentia meliorque methodus juventutem populumque educandi, et non solum in scholis, sed etiam in ecclesia instituendi. V. Laetiores et salubriores profectus, ut in omni

genere litterarum, ita inprimis in Theologia historica atque exegetica.

I. In hunc censum prae ceteris veniunt *Joh. Gerhardus*, *Joh. Musaeus*, *Phil. Jac. Spenerus* (*W. Hossbach:* Spener u. seine Zeit; eine kirchenhist. Darstellung. Th. I. II. 1828. 8.), et *Aug. Herm. Frankius.* (Leben u. Verdienst A. H. Franken's, von *A. H. Niemeyer.* 1794.)

II. Inter plures eminent *Ernestus Pius*, Dux Gothanus (de cujus meritis *Eyring*, *Teissier* et *Gelbke* libros singulares scripserunt), *Augustus*, Dux Brunosuicensis, (cujus memoriam *J. V. Andreae*, *Conring*, *Burckhard* aliique celebrarunt) et *Fridericus Guilelmus I.* magnus Elector Brandeburgicus (de quo prae ceteris videndus *Sam. de Pufendorf:* de rebus gestis Frider. Wilhelmi Magni comment. 1694. ed. 2. 1733. f.).

III. Honoris causa nominandi: *Balthasar Becker*, *Hugo Grotius*, *Chr. Thomasius*, *Sam. Pufendorfius*, *Godofr. Guil. Leibnitz*, *Just. Moser* aliique.

IV. Cum laude nominandi: *Basedow*, *Campe*, *Niemeyer*, *Pestalozzi*, *Resewitz*, *Salzmann*, alii.

V. Inter tot nomina clara sufficiat nominasse Nostrates: *Moshemium*, *Semlerum*, *Schroeckhium*, *Planckium*, *Ernestium*, *Griesbachium*, *Morum*, *Storrium*, *Reinhardum*.

§. 174.

Omni itaque hac causa accuratius et sine praejudicio considerata atque examinata, statum utrumque ecclesiae evangelicae hilarem magis ac florentem, quam tristem et caducum esse videbimus. Inter ipsa fata adversa et pericula Protestantismus prosperavit, ad majora semper ac meliora tendens. Variae criminationes et vituperationes ab adversariis olim et nunc prolatae sine neg-

otio profligari poterunt, dum in via veritatis et virtutis evangelicae, qua mascule Reformatores eorumque successores nos praecesserant, constanter et sapienter progredi, τὴν παραθήκην (1 Timoth. VI, 20) conservare, et πρὸς ἀπολογίαν (1 Petr. III, 15) semper parati simus. Forma ecclesiae et doctrinae evangelicae variabilis et mutabilis; sed ipsius essentia, ut verbum Dei, cujus est interpres et praeco, invariabilis atque aeterna.

Apologetis ecclesiae et theologiae evangelicae nuperrime novam materiam praebuerunt atque occasionem nonnulli docti et ingeniosi scriptores, inter quos duos, licet longe diversos, indicamus:

J. A. Moehler's Symbolik; oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken u. Protestanten, nach ihren öffentl. Bekenntniss-Schriften. Edit. 3. 1833. 8.

Thom. Moore's Wanderungen eines irländischen Edelmannes zur Entdeckung einer Religion. Aus dem Engl. Th. I. II. 1834. 8.

LOCUS II.

Historia ecclesiae Reformatae.

Dan. Gerdesii aliorumque scripta v. Loc. I.

L. Maimbourg histoire du Calvinisme. 1682. 12.

(*P. Jurieu*) histoire du Calvinisme et celle du Papisme mises en parallele. 1683. T. I. II. 4.

Jac. Basnage histoire de la religion des eglises réformées. Ed. III. 1725. 4.

Jo. Henr. Els Entwurf einer Geschichte der reform. Kirche. 1777. 8.

J. J. Moeller's krit. Gesch. der Bildung der ref. Kirche u. ihres Lehrbegriffs. Cf. Reformations-Almanach. II. Jahrg. 1819. 8. p. 3—113.

---

§. 175.

Familia Protestantium in *Helvetia* orta, et inde longe lateque propagata, nomen et titulum: *Ecclesia reformata*, tanquam proprium et distinctivum, sibi vindicavit. Quod quidem nomen, si modo recte intelligatur et sine arrogantia sumatur, omnino defendi potest. Nam etsi Protestantes, qui *Lutheranos* se dixerunt, nunquam hoc nomen tanquam sectarium (quod Lutherus detestatus est) sibi imposuerunt, saepius tamen sinistre intellectum variis opprobriis occasionem praebuit, quae in eos, qui *Reformati* dicuntur, cadere non possunt. Sed non omittendum, hoc nomen vel ideo fuisse eligendum, ut duplicitas coetus *Zwinglianorum* et *Calvinistarum* aut celaretur, aut excusaretur. Historia autem hujus e duobus coetibus conflatae ecclesiae sequentibus comprehendetur capitibus.

Nomen *Reformati* neque in Germania, neque in Helvetia (nam ibi sacrorum emendatorum amici *Evangelicos*, vel *Protestantes* se dixerunt), sed in Gallia ortum, ibique ab initio *Lutheranis* fuit impositum. Quum autem *Calvini* doctrina in Gallia mox praevaluisset, ad ejus asseclas, et quidem cum epitheto: *Les prétendus Reformées* (ut Bossuetus semper dicit) transiit.

§. 176.

Eodem tempore atque impulsu, ex iisdem causis et rationibus, nec non eodem successu, ut in Saxonia, emendatio sacrorum in *Helvetia* est inchoata. Primus auctor *Ulricus* (al. *Udalricus*) *Zwinglius*, Pastor Turicensis, qui, postquam a. 1519 indulgentias Papales a Bernh. Samsone im-

pudenter venditas publice impugnaverat, strenue cultum christianum ad simplicitatem antiquae ecclesiae, et doctrinam ad scripturae sacrae auctoritatem revocare coepit. Quod quidem negotium fausto et rapido non caruit effectu, quum non solum collegam *Leonem Judae*, et discipulum (deinde successorem) *Henricum Bullingerum*, sed ipsum Magistratum Turicensem, strenuos haberet adjutores. Inde ab a. 1524 socios quoque apud Basileenses nactus est, *Johannem Oecolampadium* et *Oswaldum Myconium*, viros doctos, probos et moderatos. Sed majora reformationis Helveticae incrementa esse coeperunt, ex quo, post solemnem *Disputationis Bernensis* actum (a. 1528), etiam Magistratus aliarum in Helvetia civitatum eam admittere non haesitarunt.

J. J. Hottinger's Helvetische Kirchengesch. Th. III. oder: Historia der Reformat. in der Eidgenossenschaft. 1708. 4. Edit. nova et contin. a *L. Würz* et *M. Kirchhofer*. Th. I—V. 1808—19.

Abr. Ruchat histoire de la Reform. de la Suisse. T. I—VI. 1727—28. 8.

J. C. Fuesli's Beyträge zur Erl. der Kirchen- u. Ref.-Gesch. des Schweizerlandes. Th. I—V. 1741—53. 8.

Sal. Hess Ursprung, Gang u. Folgen der durch Ulr. Zwingli bewirkten Glaubensverbesser. u. Kirchen-Reformation. 1820. 4.

Osw. Myconii vita Zwinglii. Cf. Oecolampadii et Zwinglii Epist. 1536. f.

Vita Zwinglii auctore *F. Nüscheler* (1776), *J. L. Hess* (1811), *J. W. Rotermund* (1818), *H. Müller* (1819), *J. M. Schuler* (1819), *M. Richard* (1819).

Opp. Zwinglii. Edit. *R. Walther*. T. I—IV. 1544—45. f. Ed. *Leonis Judae* et *Casp. Megandri*. T. I—IV. 1581. f. Ed. *M. Schuler* et *Joh. Schulthess*. T. I. 1828. 8.

U. Zwingli's sämmtl. Schriften im Auszuge von *L. Usteri* u. *S. Voegelin.* Th. I. II. 1819—20. 8.
J. M. Fels Denkmal Schw. Reformatoren. 1819. 8.
(*Sal. Hess*) Lebensgesch. Joh. Oekolampad's u. s. w. 1793. 8.
H. Bullingeri vita ab ipso scripta. V. Miscell. Tigurin. T. I. Fasc. 5. Lebensgesch. Bullinger's von *Sal. Hess.* 1829. Th. I. II. 8.
Acta oder Handlung gehaltener Disputation zu Bern. 1528. 8.

§. 177.

Reformatores Helvetici (§. 176.) cum Reformatoribus Germaniae, ut in sincero veritatis et virtutis amore, ita et in reformandi consilio, principio et methodo conspirabant. Causa ipsis communis contra usurpatam Curiae Romanae auctoritatem et contra innumeros in doctrina, cultu et regimine ecclesiastico abusus. Eodem animi ardore crassissimas sui temporis superstitiones eradicare, libertatemque conscientiarum graviter violatam restituere studuerunt, unicam fidei normam et vitae regulam scripturam divinam, rationis usu interpretandam, agnoscentes. Conformes denique in summa doctrinae christianae et in singulis dogmatibus quum essent, dolendum sane, quod, auctore *Andrea Carolostadio*, in una dogmatis de s. coena parte, i. e. in interpretatione verborum institutionis τοῦτό ἐστιν in diversas abierunt partes. Ex hac diversitate ortum est dissidium, nec Colloquio Marpurgensi (a. 1529), nec Concordia Vitebergensi (a. 1536 et 1538) compositum. In hac controversia eucharistica ab utraque parte peccatum nimio ardore et incredibili vehementia;

sed in utraque etiam parte laudandus sincerus et religiosus veritatis amor, quo contra conscientiam nihil statuere vel concedere voluerunt.

J. Fr. Meyer de Carolstadio. 1708. 4.
J. C. Fuesli's Andreas Bodenstein's, sonst Carlstadt's, Lebensgesch. 1776. 8.
Joh. Oecolampadii vita a S. Grynaeo. 1536. f.
— — genuina verborum Domini: *hoc est* etc. expositio. 1525. 8.
— — Antisyngramma — adv. Syngramma Suevicum. 1526. 8.
Historia Colloquii Marburg. a Sculteto in *H. v. d. Hardt* hist. lit. Ref. P. V. a Justo Jona et Melanchthone in Lutheri Opp. T. XVII. ed. Hal.
De *Concordia Viteberg.* cf. Opp. Luth. T. XVII. p. 2529 seqq.
Planck's Gesch. des prot. Lehrbegr. Th. III. P. I. p. 336 seqq.

§. 178.

Ad istas lites tam intempestive erumpentes componendas viri nonnulli docti et cordati in Germania superiori omnem adhibuerunt diligentiam atque operam. Inter hos *Martinus Bucerus*, *Volgangus Capito* et *Casparus Hedio* praecipui, quibus ex parte quoque se adjunxit *Johannes Brentius*. In *Confessione Tetrapolitana* (a. 1530) in doctrina de s. coena *tropum medium* proposuerant, qui autem, animis jam nimium exasperatis, utrique parti non satisfecit. Omne vero hoc reconciliationis negotium eo magis sine effectu fuit, quum paulo post, evocato Bucero in Academiam Cantabrigiensem, haec pars medioxima idoneo duce atque antesignano careret.

Alb. Meno Verpoortenn Comment. de Mart. Bucero. 1709. 4.
Buceri volumen scriptor. Anglican. Ed. Conr. Huberti. 1572. f.
E. Fr. Wernsdorf historia Confessionis Tetrapol. 1694 et 1721. 4.

§. 179.

Ut in Germania propter *agrestium tumultus* reformationis causa apud multos male audire coepit, ita quoque *bellum civile* inter Helveticae Reipublicae status, quos Pagos vocant, exardescens propter Reformationem exortum credebatur. Hoc certum, quinque Pagos catholicos confoederatos, sub religionis praetextu, jam a. 1529 arma contra reformatos status movisse, et, pace per paucos menses conservata, a. 1531 Turicenses gravi clade, in qua Zwinglius pro religione et patria pugnans occubuit, devicisse. Pax quidem de religione paulo post, et ad aeterna tempora, restituta, ita ut tranquillitas externa non amplius turbaretur; sed remansit discordia interna, variis temporibus atque occasionibus, usque ad nostros dies, fructus proferens minime laetos ac salutares.

De bello civili in Helvetia v. *Sleidani* hist. lib. VIII. p. 471 seqq. *Joh. v. Müller's* Gesch. Schw. Eidgenossensch. B. IV.

§. 180.

Ceterum in republica *Turicensi*, *Bernensi* et *Basileensi* status ecclesiasticus optime ordinatus id habet singulare, quod magistratus politici major

fuit auctoritas, quam in aliis terris reformatis, ubi Presbyteria et Synodi regimen ecclesiasticum exercent. Ecclesiae in Helvetia Germanica in rebus dogmaticis cum Calvino et Genevensibus consentientes, quod a. 1536, 1545, 1549 et 1675 gravissimis documentis [1]) publice testatae sunt, in reliquis suum proprium statum et ordinem protegentes, saec. XIX. ex causis politicis nonnullas expertae sunt mutationes, quae antiquarum formarum fautoribus minime placent [2]). Theologi *Turicenses* et *Basileenses* de universa Theologia, quam maxime autem de interpretatione S. S. et historia ecclesiastica omni tempore egregie meruerunt [3]).

1) Quatuor consensus extant documenta:
a) Confessio fidei Helvetica. a. 1536; auctior et emendatior a. 1566. a Bullingero, Beza et Rud. Gualtero proposita.
b) Orthodoxae Tigurinae eccl. confessio de s. coena. 1545 (a Bullingero et Calvino).
c) Consensio mutua Ministrorum Tigurin. et Joh. Calvini. 1549. Repet. 1554.
d) Formula Consensus Helvetica. a. 1675. auctore primario *J. H. Heideggero*. Cf. *J. J. Hottinger* hist. formulae consensus in Bibl. Brem. Class. VII. Fasc. IV. *Chr. M. Pfaff* Schediasma de Form. C. Helv. 1723. 4.

2) Ueber die Kirchen- u. Schulverfassung im Canton Zürich u. Bern. v. *Henke's* Archiv. VI. B. 2. St. p. 198 seqq. 4. St. p. 145 seqq. 612 seqq. *Stäudlin's* kirchl. Geographie u. Statistik. Th. II. p. 292—302.

3) Inter *Theologos Turicenses* prae ceteris eminent: *Hospinianus*, *Heidegger*, *Joh. Henr.* et *Jac. Hottinger*, *Breitinger*, *Zimmermann*, *Lavater*, *J. J. Hess*, alii.

Basileensium, post Oecolampadium, Myconium aliosque, ornamenta: *Buxtorfiorum* familia, *Sam. Werenfels*, *Petr. Roques*, *Sim. Grynaeus*, *J. J. Wetstenius* al.

§. 181.

Sacrorum emendatio inde ab a. 1535 in Helvetia Gallicana et in Republica Genevensi a *Farellio*, *Vireto* et *Calvino* tentata aliam quidem formam, sed majorem habuit effectum. Sed *Johanni Calvino* (*Chauvin*), viro docto, ingenioso et firmo, ut pauci, inde ab a. 1541—1564 omne fere hoc negotium debetur. Tria autem potissimum in Calviniana reformatione spectanda: I. Novus in dogmate de s. coena tropus medius, et dogma de praedestinatione, eo consilio propositum, ut Pelagianismi reviviscentis eradicarentur vestigia, in quo utroque mox Zwingliani cum Calvino coalescere coeperunt, ut duplex *Consensus Tigurinus* a. 1549 et 1554 testatur. II. Presbyterium et Consistorium ecclesiasticum, ad disciplinam eccl. et morum censuram, contra *Libertinos* et *Antitrinitarios*, exercendam — cujus rigoris exempla insigniora *Jacobus Gruetus* et *Michael Servetus* (Servede, a. 1553 flammis traditus) fuerunt. III. Academia Genevensis a. 1558 Calvino suadente ac moderante instaurata, quae cito tantam famam atque auctoritatem est consequuta, ut, ad exemplum antiquae Scholae catecheticae Alexandrinae et Antiochenae, Seminarium Theologorum reformatorum fieret.

Vita Joh. Calvini, gallice et latine, auctore *Th. Beza*, in Calvini Epist. 1575. f.

Ziegenbein's Leben Calvin's u. Beza's; aus d. Franz. des H. *Senebier* übers. mit Anmerk. u. Zusätzen. 1789. 8.
— Calvin's u. Beza's Schriften, nach der Zeitfolge geordnet. 1790. 8.
Senebier hist. lit. de Geneve. T. II.
Jo. Calvini Opp. Ed. Amstelod. 1667—71. T. I—IX. f.
— — Epistolae et Responsa. 1576. f. ed. 3. 1597.
— — Commentarii in N. T. ed. Tholuck. 1832 seqq.
Bretschneider über die Bildung u. den Geist Calvin's u. der Genfer Kirche. cf. Reformat. Almanach. III. Jahrg. p. 1—138.

§. 182.

Doctrina Genevensis primum in *Gallia*, non solum inter Lutheranos, regnante Francisco I. admissos, sed etiam inter Catholicos, multos nacta est fautores. Factum id potissimum *Theodori Bezae*, doctissimi Calvini socii et successoris, insigni gnavitate atque eloquentia, qua novam societatem ecclesiasticam colligeret et in Synodo Parisiensi a. 1559 et Pisciacensi a. 1561 in ordinem redigeret, ita ut haud immerito *Reformator Galliae* dici posset. Sed res Reformatorum prosperantes invidiam atque odium Catholicorum adeo excitarunt, ut eorum Confoederatio (Ligue) omnes nervos intenderet ad *Hugenottos* (quo nomine vulgo insigniuntur Reformati) vi armorum atque insidiis delendos. Horrendum facinus, cruenta nocte S. Bartholomaei (d. 28. Aug. 1572) patratum, novum bellum accendens, misere adflictos novis viribus roboravit. Spes Hugenottorum quidem in rege *Henrico IV.* positae sunt illusae, quippe qui ad regnum obtinendum ad partes Catholicorum

transiret; sed nihilominus *Edicto Nannetensi* (a. 1598) rebus eorum bene prospexit, donec post centum fere annos *Ludovicus XIV.*, crudeli et temerario consilio, revocato hoc edicto (a. 1685), statum eorum ita adflixit, ut omnem miseriam ecclesiae pressae haberent sustinendam.

Ant. Faji de vita et obitu Theod. Bezae. 1606. 8.
Fr. Chr. Schlosser's Leben des Th. Beza u. des P. M. Vermily. 1809. 8.
Th. Beza hist. eccles. des eglises reformées en France depuis 1521 jusqu' a 1563. T. I—III. 1580. 8.
(*Joh. Serrani*) Comment. de statu rel. et reipubl. in regno Galliae sub Francisco II., Carolo IX. et Henrico III. T. I—V. 1572. ed. 4. 1577. 8.
(*Gaultier*) hist. apol. ou defence des églises réformés de France. T. I. II. 1688. 8.
Benoit hist. de l'Edit de Nantes. T. I—V. 1693—1695. 4.
Cf. supra §. 157.

§. 183.

Ecclesia reformata in Gallia id semper habuit laudis, quod vel ipsis temporibus et rebus adversis pietatis, disciplinae et eruditionis erat exemplum. Disciplinae ecclesiasticae et morum censurae, a Calvino praescriptae, sed post mortem ejus apud Genevenses et alibi fere suppressae, in Gallia strictissima fuit observatio; id quod decreta synodalia a. 1578 et 1587 clarissime testantur. Sed dogma de praedestinatione et gratia, in Helvetia et Batavia acerrime propugnatum, a *Camerone*, *Amyraldo* et *Placaeo* aliisque ita mitigatum, ut minus offendere posset. Quae de reconciliatione cum Lutheranis decrevit Synodus *Ca-*

rentoniensis (a. 1631) animum liberaliorem et pacificum testantur. Inter Theologos, Philologos et Criticos, quos haec ecclesia protulit, praeter laudatos eminent *Jacobus* et *Ludovicus Cappellus*, *Petrus Molinaeus*, *Sam. Maresius*, *Sam. Bochartus*, *Js. Casaubonus*, *Petr. Baylius*, aliique multi.

Aymon Synodes nationaux des églises reformés en France. T. I. II. 1710. 4.
Thom. Ittig: de Synodi Carentonensis erga Lutheranos indulgentia. 1705. 4.
Niceron Memoires T. XVIII—XXII.

§. 184.

In *Belgio* et *Batavia* s. Hollandia, statim post reformationis exordium, haud pauci doctrinae evangelicae, et quidem ex institutione Lutheri, extiterunt confessores, sed vario modo ab Hispanica Inquisitione vexati. Attamen jam a. 1561 prodiit *Confessio Belgica* a pluribus deinceps Synodis, Calvinismi causa, mutata et confirmata, eodemque tempore arctior cum Evangelicis in Germaniae provinciis adjacentibus conjunctio erat. Septem autem Provinciis jugo Hispanico sese subtrahentibus et *Unione Ultrajectensi* (a. 1579) confoederatis, felicius reformationis negotium procedere coepit. Universitas *Lugdunensis* a. 1575 instaurata, duce primario *Francisco Junio*, hunc inprimis habuit scopum, ut Calvini dogmata per universam rempublicam propagaret.

Ger. Brandt histoire abregée de la reformation des Pays-Bas. T. I—III. 1730. 12.
Vita Francisci Junii, Bituricensis, ab ipsomet scripta. Opp. T. I. 1594. Ed. P. Merulae. 1595. 4.

§. 185.

In hac tamen purioris Calvinismi sede paulo post (inde ab a. 1604) controversia orta est inter *Jacobum Arminium* et *Franciscum Gomarum* de praedestinatione et gratia, qua universa Reformatorum ecclesia commota et scissa est. *Synodus Dordracena*, a. 1618—1619 instar Concilii generalis omnium reformatarum ecclesiarum (quod multi negarunt) congregata et plus, quam par erat, auctoritate saeculari praegravata, damnavit *Arminianos*, qui a Confessione s. Remonstrantia nomen *Remonstrantium* gerunt et quorum antesignanus *Sim. Episcopius*, eosque omni jure politico et religionis exercitio privavit. Ejusmodi rigor apud exteros valde displicuit, et Canones Dordraceni, praeter Hollandiam, ubi legis publicae vim habent, nec plausum nec auctoritatem obtinuerunt. Mirum tamen, ecclesiam reformatam, quamvis statu politico mutato omnium religionum et confessionum exercitium et cultus permitteretur, nullam *libertatem theologicam* concedere voluisse.

Petr. Bertii de vita et obitu Arminii. 1609. 4.
Casp. Brand hist. vitae Jac. Arminii. 1724. 4.
J. Arminii Opera theol. Ed. Lugd. 1629. Ed. Francof. 1635. 4.
Sim. Episcopii vita, auctore *Curcellaeo* (1678), *Ph. a Limborch* (1701. ed. 2. 1709), *J. Konynenburg* (1791).
— — Scripta theol. 1650. f. Ed. Hag. 1678. T. I. II.
— — Confessio s. declaratio sententiae Pastorum, qui in foeder. Belgio Remonstrantes vocantur, super praecipuis artic. rel. chr. 1621. (Opp. T. II. P. II. p. 69 seqq.)
— — Apologia pro Confessione etc. 1627. (ibid.)

Acta Synodi nat. Dordrechti habitae. 1618. f.
(*Dan. Heinsii*) Judicia theol. de quinque controv. Remonstrant. articulis Syn. Dordr. exhibita. 1619. 4.
Acta et scripta synodalia Dordracena Ministr. Remonstrant. in foeder. Belgio. 1620. 4.
Joh. Halesii hist. Conc. Dordrac. Edit. J. L. Moshemii. 1724. 8.
Jac. Regenboog's Gesch. der Remonstranten; aus dem Holländ. übers. 1781—84. Th. I. II. 8.
Geschichte der Entstehung der Remonstr.; aus d. Holl. übers. von Kersten. 1799. 8.
Chr. J. W. Mosche Comment. hist. sententiar. Remonstrantium de rebus ad relig. et conscient. pertin. 1790. 8.
G. S. Francke de hist. dogmatum Armin. 1813. 8.

§. 186.

Quamvis autem Theologi Contraremonstrantes ob nimium crassiorem Calvinismum defendendi studium et ob tenacitatem in antiqua docendi forma male audirent apud plurimos, promerita tamen ipsis, ob insignem litterarum divinarum atque humanarum et solidioris eruditionis amorem, nunquam denegata est laus. Praeclara sunt Theologorum Lugdunensium, Ultrajectinorum, Groningensium, Franequeranorum, Amstelodanorum aliorumque doctorum nomina. In Philologia autem, in Historia et Archaeologia Batavos esse principes, et in hac parte litterarum Germaniae fuisse antecessores et magistros, inter omnes constat.

Theologorum coryphaei sunt: *J. Alberti, Henr. Alting, Bielius, Coccejus, Lud. de Dieu, Const. L'Empereur, Sam. Maresius, Spanhemii, Trommius, Herm Venema, Camp. Vitringa, Vorstii, Vossii, H. Witsius*, alii.

De litteris graecis, latinis et orientalibus immortaliter meruerunt: *Burmanni*, *Drackenborch*, *Douzae*, *Drusii*, *Erpenius*, *Golius*, *Graevii*, *Gronovii*, *Havercamp*, *Tib. Hemsterhuys*, *Lennep*, *Marckland*, *Reland*, *Jos. J. Scaliger*, *Rhunkenius*, *Schultensii*, *Valckenarius*, *Wyttenbachius* aliique multi.

Miraei Elogia Belgica. 1609. 4.

— Bibliotheca — 1623. ed. 2. 1643.

Paquot Memoires pour servir a l'hist. lit. de Pays-bas. 1765—70. T. I—III. f.

§. 187.

Remonstrantes inde ab a. **1630—1636**, sed deterioribus conditionibus, restituti, nostris adhuc diebus societatem separatam habent, licet in cultu et regimine ecclesiastico a Reformatis parum vel nihil discrepent. Pars eorum principiis dogmaticis Socinianorum et Latitudinariorum album calculum adjecit. Omni tamen tempore eximiae eruditionis meruerunt laudem et scriptores theologicos habuerunt in primo ordine collocandos. Lutheranis non exiguo numero in Hollandia viventibus et Amstelodami in duas familias divisis nuper *Seminarium theologicum*, ad normam *Athenaei*, quo Remonstrantes Amstelodami gaudent, instauratum est cum Ordine Theologorum Lugdunensium quodammodo conjunctum. Unio ecclesiastica inter Lutheranos et Reformatos nondum inita, ut in Germania, sed mutuae tolerantiae et concordiae utriusque confessionis membra laudabile praebent exemplum. In tanta autem confessionum diversitate nil tantam excitat admirationem et laetitiam, quam religiosus animorum consensus, quam constantia et virtus moralis, qua nostris diebus Batavi, ad unum

omnes, pro libertate atque integritate patriae violenter et indigne tractatae dimicarunt.

Arminianorum praeclarissimi scriptores: *Adr. Cattenburg*, *Joh. Clericus*, *Steph. Curcellaeus*, *S. Episcopius*, *Hugo Grotius*, *Ph. Limborch*, *Conr. Vorstius*, *Joh. Ger. Vossius*, *J. J. Wetstenius* aliique.

H. L. Benthem's Holländ. Kirchen- u. Schulenstaat. Th. I. II.

A. F. E. Jacobi's neuester Religionszustand in Holland. 1777. 8.

Zimmermann's Briefe über den kirchl. Zust. in H. cf. Archiv für alte u. n. Kirchengesch. I. B. 3. St. p. 131 seqq.

Th. Fliedner's Collecten-Reise nach Holland u. England — nebst einer Kritik der wichtigsten theol. Litteratur Hollands. 1831. Th. I. II.

§. 188.

In *Scotia* doctrina evangelica, licet jam ab a. 1527 nonnullos habuisset praecursores et martyres, ut *Hamiltonem*, *Kennedium* aliosque, tamen ante a. 1547, vel potius 1560, non firmas egit radices, et verus Reformator Scotiae *Johannes Knoxius* dicendus. Is ex Gallia et Geneva dogmata atque instituta Calvini magno ardore et felici successu introduxit, eorumque intrepidus non solum adversus Catholicos, sed etiam adversus Episcopales Anglicanos defensor fuit. Conservatus quoque in sua integritate status *Presbyterianorum* s. *Puritanorum* (quo nomine, interdum non eodem sensu, insigniri solent Reformati in Scotia et Anglia), ex quo, post mortem Elisabethae, utrumque regnum sub titulo: *Magna Britannia* conjunctum est. In nulla Europae provincia Presbyterianismi

purioris systema, quod etiam nostro tempore multis arridet, ita dominatur, quam in hac ecclesia, licet et in ipsa Scotia haud exiguus dissentientium et adversariorum deprehendatur numerus.

The history of the reformation of religion within the realm of Scotland — together with the life of *John Knoxe* and several curious pieces wrote by him. 1664. 1732. 8.
Gilb. Stuart the history of the etablishement of the reformation of religion in Scotland. 1780. 8. Vers. german. 1786. 8.
W. Crie the life of John Knoxe etc. 1811. Ed. 2. 1814. T. I. II. Vers. germ. 1817. 8. et 1829. 8.
Ge. Cook history of the reformation in Scotland. 1815. T. I—III. 8.
A. F. L. Gemberg: Die Schottische National-Kirche nach ihrer gegenwärt. inneren u. äussern Verfass. 1828. 8.

§. 189.

In *Polonia*, ubi nonnulli Waldensium et Hussitarum erant coetus, jam inde ab a. 1520—1523, simul cum Lutheranis, Helveticae reformationis extiterunt fautores; sed dispersi saepiusque vexati, non nisi post a. 1550 liberum religionis exercitium propriosque coetus habuerunt. *Consensus Sendomiriensis* a. 1570 scriptus unionem inter Lutheranos, Reformatos et Fratres Bohemicos stabilire voluit; et quamvis haec concordia non plus quam duodecim annis duraverit, fructus tamen nonnullos attulit evangelicae doctrinae cultoribus in Polonia, primoque hoc docuit exemplo, arctiorem conjunctionem omnino locum habere posse, si seria voluntas et tempus idoneum adsit. Feliciori

successu a. 1620 et 1627 Reformati cum Waldensibus coalescentes *Unitatem fratrum* constituerunt: res longe facilius perficienda, quam consilium illud, quo a. 1645 *Colloquium charitativum Thoruniense*, ad reconciliandos Protestantes cum Catholicis, est habitum et sperato effectu caruit. Sed saec. XVIII. *Synodus Lissensis* (a. 1775) primam inter Lutheranos et Reformatos unionem pronuntians praestitit, quod Sendomiriensibus, culpa temporis, nondum licuit. Itaque Polonia prima unionis ecclesiasticae patria.

Chr. G. v. Friese's Beyträge zur Ref.-Gesch. in Polen u. Litthauen. Th. I. II. 1786. 8.
Büsching's neueste Gesch. der ev. beyden Confessionen in Polen u. Litthauen. Th. I—IV. 1784—87. 4.
Consensus Sendomiriensis. Ed. *Strimesii*, 1704. 8.
D. E. Jablonski hist. Consensus Sendomir. 1731. 4.
— — — epist. apologet. — — — — —.
Scripta facientia ad Colloquium a R. Vladislav. IV. Thoruni indictum. Accedit Ge. Calixti consideratio et ἐπικρισις. 1645. 4.
Acta Conventus Thorun. 1646. 4.
Acta histor. eccl. T. IV. p. 287 seqq. VII. p. 293 seqq. VIII. p. 555 seqq. 793 seqq.

§. 190.

Hungari evangelicae confessioni addicti ab initio omnes doctrinam Lutheri profitebantur. Sed medio saec. XVI. etiam Reformati ibi erant cum reliquiis Hussitarum et Waldensium arctius conjuncti. Tempore Formulae Concordiae pax cum Lutheranis, ad utriusque confessionis detrimentum, turbata, ut *Confessio Czengerina* (a. 1570), tam Lutheranis quam Zwinglianis opposita, testatur.

Collegia ab ipsis Debrecini, Papae et Theodatae instituta, parum profuerunt, nec litterarum nec Theologiae studium adjuvarunt. In *Transylvania* Reformati *Petrowitzium* et *Melium* praeclaros instauratores habuerunt, et a. 1564 confessionis liberum exercitium statumque ordinatum obtinuerunt. Princeps *Gabriel Bethlenius* (Bethlen Gabor) eorum fuit Protector; postea vero saepius turbati, ad praesens usque tempus sorte gaudent minime fausta.

Historia diplomatica de statu relig. evangel. in Hungaria. 1710. f.
Historia eccl. reformatae in Hungaria et Transylvania. Ed. *F. A. Lampe*. 1728. 4.
Gregor. von Berzeviczy Nachr. über den jetzigen Zustand d. Evangel. in Ungarn. 1822. 8.
F. Friedrich's vertraute Briefe über die äusserliche Lage der evang. Kirche in Ungarn. 1825. 8.

§. 191.

Quadraginta post Lutheri sacrorum emendationem annis in universa *Germania* reformatio Helvetica, si singulorum doctorum opiniones excipias, asseclas coetusque habuit nullos. Sed mortuo Luthero interque rixas et turbas ab illis, qui γνήσιοι dicti sunt, excitatas, non solum *Philippus Melanchthon* ad Calvini dogma de s. coena inclinavit, sed etiam inter discipulos fideles, qui nomine invidioso *Philippistae* sunt vocati, multos habuit, qui cum Reformatis concordare mallent, quam cum Amsdorfio, Flacio, Hesshusio aliisque Theologis modum evagantibus, quorum culpa factum est, ut schisma, quod Bucerus ejusque socii evi-

tare voluerunt (§. 178.), fieret manifestum. Illud non latius se extendisse, sane mirum, quum non solum causae et rationes theologicae, sed etiam politicae eaeque gravissimae animos alienarent. Ecclesia Lutheranorum igitur quodammodo gratulari sibi poterat, quod non majorem pateretur jacturam. Nam numerus Reformatorum omni tempore erat exiguus, et nunquam partem quartam vel quintam omnium Protestantium in Germania superabat. Ceterum et hoc non omittendum, inter illos diversitatem et varietatem, cum in doctrina, tum in ritibus, tum in disciplina et regiminis forma deprehendi, quae nec in Helvetia, nec in Batavia nec in aliis terris locum habet, quaeque ex causis politicis est derivanda.

Formula Concordiae omnino auxit dissidia, sed non excitavit. *E. S. Cyprian* von kirchl. Vereinigung der Protestanten. Th. I.

§. 192.

Palatinatus Electoralis primum exemplum defectionis a Lutheranismo dedit. Auctor erat Elector *Fridericus III.*, princeps fortis ac prudens, qui a. 1559 auctoritate Responsi Melanchthonis de s. coena editi, et a Philippistis adjutus, doctrinam, cultum et ordinem Reformatorum instituit, et *Catechismum Heidelbergensem* a *Zacharia Ursino* et *Casparo Oleviano* ad mandatum Electoris conscriptum et a Superintendentibus et Senioribus (exceptis Lutheranis in Palatinatu superiori) comprobatum, a. 1563 per edictum electorale tanquam normam docendi praescripsit. Theologi et Pastores Lutherani se opponentes a

munere dimissi, et novus status contra gravamina, ab Imperatore et Imperio ratione Pacis Augustanae de religione prolata, ab Electore fortiter defensus, simulque disciplina ac censura, inprimis contra Antitrinitarios, magno cum rigore adhibita. Sed post mortem ejus a. 1576 a filio *Ludovico VI.* in provinciis electoralibus omnia in integrum restituta, ita ut causa Formulae Concordiae mirum in modum triumpharet.

B. G. Struve's ausführl. Bericht von der Pfälzischen Kirchenhistorie. 1721. 4.
D. L. Wundt's Grundriss der Pfälz. K.-Gesch. 1796. 8.
— — — Magazin für die Kirchen- u. Gelehrten-Gesch. des Kurf. Pfalz. Th. I—III.
— — — neueste Gesch. der reform. Kirche. 1791. 8.
J. Chr. Koecher's catechet. Gesch. der reform. Kirche. 1756. 8.
H. S. v. Alpen's Geschichte u. Liter. des Heidelberger Kat. 1800. 8.
J. Chr. W. Augusti hist. krit. Einleitung in die beyden Haupt-Katechismen der ev. Kirche. 1824. 8. p. 96—162.

§. 193.

Iste tamen triumphus non diu duravit. Nam mortuo Ludovico VI. a. 1583 *Johannes Casimirus*, Comes Palatinus, Lutheranismum non sine violentia et saevitia, consilio atque auxilio *Davidis Parei* et *Danielis Tossani*, oppressit. Per integrum deinde saeculum Calvinismus tantopere praevaluit, ut Lutherani non nisi infausto belli triginta annorum tempore, Suecorum auxilio, aliquam haberent respirationem. Ex quo autem a. 1685 Dy-

nastia Neoburgica, confessioni catholicae adhaerens, successionis jure ad Electoratum pervenerat, gravissimam Reformati intolerantiae tulerunt poenam. Nam vi politica et machinationibus Jesuitarum, semper Catechismi Heidelbergensis Quaestionem LXXX. urgentium, misere sunt vexati, Lutheranis paulo meliori conditione gaudentibus. Contra hostem tamen communem Protestantium gravamina in Comitiis Ratisbonensibus et Corpore Evangelicorum usque ad initium saec. XIX. nunquam cessarunt.

Struve's Pfälz. Kirchenhist. p. 293 seqq. 414 seqq.
Haeberlin's n. deutsche Reichsgesch. B. X. p. 433 seqq. B. XIV. p. 76 seqq. B. XV. p. 37.
De dissidiis variis v. supra §. 161.

§. 194.

Philippus Magnanimus, Hassiae Landgravus, egregius causae evangelicae patronus (§. 134.), omnem quidem adhibuit operam, ut Reformatores Saxonicos et Helveticos reconciliaret, et in Testamento suo dogma de eucharistia ex sententia Zwinglii, quod etiam *Hyperius* in Universitate Marpurgensi docuerat, professus est; attamen in ipso reformationis negotio formam Lutheranorum, paucis in partibus moderatam, praetulit. Eandem quoque rationem sequutus ejus filius, Guilelmus IV., Formulam Concordiae non admisit. Sed nepos *Mauritius*, princeps doctus, a. 1604 Calvinismum introduxit et deinde decretis Synodi Dordracenae roboravit. Inde factum est, ut *Theologi Darmstadienses et Giessenses* eo obstinatiores in defen-

dendo Lutheranismo se gererent. Sapientiori consilio a Guilelmo V. a. 1661 *Colloquium Casselanum*, ultimum inter Colloquia publica, convocatum; quod, etsi Collocutores Marpurgenses et Rintelienses inter se convenerant, ut reliqua, nullum in praesenti habuit effectum. Ex illo tamen tempore inter duas ecclesias pax publica non turbata, adeoque concordia aliquatenus aucta, quum *Fridericus* ad ecclesiam catholicam transiens communem timorem injecisset; sed nihilominus usque ad unionis saeculum disjunctae manserunt.

Universitas Giessensis a. 1605 a Ludovico V., Principe Darmstadiensi, contra Calvinistas Marpurgenses, condita.
Bericht der Mon. August 1605 zugetragenen Marpurgischen Kirchen-Händel. 1605. 4.
Leuchter de antiquorum Hassorum fide. 1607. p. 309 seqq.
Brevis narratio Colloquii, auct. Ser. Wilhelmi Casellis a. 1661 habiti. 1661. 4.

§. 195.

In territoriis *Nassoviensibus*, Augustanae Confessioni adhaerentibus, Calvinismus radices agere coepit, ex quo Theologi e Saxonia (ob Crypto-Calvinismum) et Palatinatu in exilium missi, *Pezelius*, *Cruciger*, *Olevianus* aliique ejus praecones extiterunt. Nova confessio sub titulo: *Scriptum propositum in Synodo Dillenburgensi* a. 1577 publicata, et Catechismus Heidelbergensis tanquam docendi norma introductus. Principes *Weilburgenses* et *Usingenses* Lutheranismo faventes, reliqui hujus Dynastiae principes Calvinismo, qui arctius cum Hollandia conjuncti, hujus

quoque terrae ordinem ecclesiasticum praetulerunt. Pax et concordia, si singulos casus excipias, nullo tempore turbata; ideoque saec. XIX. reconciliatio utriusque confessionis sine impedimento fuit. Unionis decretum d. XI. Aug. a. 1817 in publicum emissum.

J. H. Steubing's Kirchen- u. Ref.-Gesch. der Oran. Nassauischen Lande. 1804. 8.

N. G. Eichhoff's Kirchenreformation in Nassau-Weilburg im XVI. Jahrh. 1832. 8.

A. H. C. Heidenreich's Actenstücke der Vereinigung der ev. luther. u. ref. Kirche im Herzogth. Nassau. Cf. Archiv f. alte u. n. Kirchengesch. IV. B. 1. St.

§. 196.

Inter Civitates Imperii liberas respublica *Bremensis* unica fuit, in qua Reformati praevalerent, quum reliquae omnes Lutheranismo essent addictae. Idem apud Bremenses inde ab a. 1522, ubi *Henricus Zütphen* doctrinam evangelicam docuit. Sed post quadraginta annos *Albertus Hardenberg*, Pastor ecclesiae cathedralis, controversiam de s. coena excitavit, quae, post multas turbas, cum theologicas tum politicas, hunc habuit exitum, ut omnes hujus urbis ecclesiae, praeter cathedralem, cujus Patronus Elector Hannoveranus, ad Calvinismum transirent, eumque, ad exemplum Batavorum, cum quibus semper conjunctae, usque ad saec. XIX. eo acrius defenderent, quo rigidius Hamburgenses, Lubecenses et Francofurtani Lutheranismo adhaerebant. Nunc vero et in his status ecclesiasticus mutari coepit.

Muhlii Dissert. de vita et rebus gestis Henrici Zütphen. Cf. Ejusd. Dissert. theol. p. 459 seqq.

Gerdesii historia motuum eccl. in civitate Bremensi tempore Alb. Hardenbergii. 1756. Cf. Miscell. Groening. T. III. Fasc. 3. p. 374 seqq.

§. 197.

Principes Anhaltini, quam maxime autem Volgangus et Georgius (§. 137.), inter praecipuos reformationis Saxonicae adjutores referendi. Sed propter controversias de Formula Concordiae, et Crypto-Calvinismo *Johannes Georgius*, Princeps Dessaviensis, suadente *Volgango Amlingio*, Melanchthonis vindice, magno cum studio atque ardore inde ab a. 1596 Calvinismum introducere, Lutheranismum vero expellere coepit. Quod exemplum ceteri quoque Anhaltinae stirpis principes tanta fiducia sunt imitati, ut restitutionem Lutheranismi a. 1644 a Principe Servestano Johanne inchoatam totis viribus prohibere vellent. Singulare quid, Nobiles Anhaltinos saepius Lutheranismum reclamasse.

Beckmann's Historie des Fürstenthums Anhalt. B. II. Th. VI. c. 13.
Häberlin's n. deutsche Reichsgesch. Th. XX. p. 430 seqq.

§. 198.

Immodica Theologorum Vitebergensium zelotypia causa fuit proxima, cur Elector Brandeburgicus *Johannes Sigismundus* a. 1613—1614 confessione publica, quae *Confessio Marchica* dici solet, se Reformatum declararet, Reformatisque eadem jura cum Lutheranis concederet. Eodem

tempore Ecclesia cathedralis s. aulica Berolinensis (ritibus tamen non prorsus mutatis) et Facultas Theologorum Francofurtanorum, praeeunte et moderante *Christophoro Pelargo* (titulo *Irenaei redivivi* ornato), reformatae confessioni addictae. Ceterum neminem ille cogere, nec conscientiam violare voluit, sed renitentes cives et Theologos, inprimis in Borussia, magna cum patientia et prudentia tulit. Animum aequum ac moderatum vel eo ostendit, quod ad Synodum Dordracenam nec legatos misit, nec decreta ejus publicavit.

D. H. Hering's hist. Nachr. von dem ersten Anfang der ev. reform. Kirche in Brandenburg. 1778. 8.
— — — Verbesserungen u. Zusätze zu den histor. Nachrichten. 1783. 8.
Mylii Corpus Constitut. Marchic. T. I. p. 354 seqq.
G. G. Küster Bibliotheca histor. Brandeb. 1743. 8. p. 466 seqq.
— — — Collectio opusc. T. IV. p. 61 seqq.

§. 199.

Eadem quoque prudentia et moderatione omnes fere ejus successores conspicui. Tempore belli triginta annorum *Johannes Georgius* a. 1631 in *Colloquio Lipsiaco* consilium Electoris Saxonici et Principis Hassiae de reconciliandis ecclesiis evangelicis omni opera adjuvit. *Fridericus Guilelmus M.* autem in pacificatione Guestphalica nomen *Statoris ecclesiae reformatae* meruit, Academiam Teutoburgicam (a. 1655) instituit, et Hugenottis e Gallia pulsis asylum et liberum confessionis et ritus exercitium paravit; zelotis autem utriusque partis pacisque turbatoribus prudentiam simul et inconcus-

sam constantiam opposuit. Successorem habuit *Fridericum* primum Borussiae Regem, qui Episcopos creavit, et ut Lutheranos cum Reformatis, ad normam ecclesiae Anglicanae, reconciliaret, strenue egit. Quid post eum a Regibus Borussiae ad patrocinium et commodum ecclesiae evangelicae actum sit, jam supra (§. 165.) brevi summa relatum est.

Colloquio Lipsiaco interfuit collocutor Brandeburg. *Johannes Bergius*, cujus libellus: Relation von der Privat-Conferenz zu Leipzig, a. 1685 prodiit et comparandus cum libro *Matth. Hoe ab Hoenegg* sub titulo: Recess der Leipz. Conferenz. 1635. 4.

Der Chur Brandenburg Reformations-Werk: die drey Confessiones oder Glaubensbekenntnisse, welche in den churf. Brandenb. die Religion betreffenden Edictis zu beobachten befohlen worden. 1695. 4. (Tres Confessiones sunt: 1) Confessio Marchica s. Joh. Sigismundi a. 1614. 2) Colloquium Lipsiacum a. 1631. 3) Declaratio Thoruniensis a. 1645.)

Scripta partis Reformatae in Colloquio Thorun. parti Catholicae exhibita. 1646. 4.

Friderici Guilelmi M. Edicta de Elencho nominali (a. 1664) et de Exulantibus Gallicis (a. 1685) extant in *Mylii* Constit. March. T. I. P. I. p. 381 seqq. T. II. P. I. p. 183 seqq.

§. 200.

Quod numerus Reformatorum in provinciis regni Borussici orientalibus et septentrionalibus omni tempore fuit exiguus, praetereaque maxime peregrinos atque advenas comprehendit, clarissime testatur prudentem ac religiosam curam, qua reges libertatem confessionis et jura conscientiae servarunt [1]). Contra autem Lutheranorum constantia,

qua paternae confessionis jura ac privilegia tenerent et defenderent, non uno nomine est laudanda. Nonnulli eorum, olim et nunc, nimio ardore, plus quam justum et aequum, se abripi sunt passi. Horum quidem zelotypia neutiquam probanda; sed intrepidae conscientiae, etiamsi erroneae, manifestatio omni tempore in honore habenda [2]).

1) Apud Reformatos in regno Borussico triplex erat regiminis et ritus ecclesiastici forma: a) in provinciis Rhenanis et Guestphalicis; b) in Silesia, Borussia et Marchia; c) apud Exules ex Gallia, quibus ritus Gallicanus conservatus, quod alibi ipsis non concessum.

2) Cogitandum inprimis de *Paulo Gerhardo*, *E. S. Reinhardo*, *Dav. Hanisio*, *Sam. Pomario* aliisque conscientiae martyribus, quorum exempla etiam nunc non omnino desunt.

LOCUS III.

Historia ecclesiae Anglicanae.

Nic. Sanderi de origine ac progressu Schismatis Anglicani. Lond. 1588. Colon. 1610. 8.

A. W. Boehme's acht Bücher von der Reformation der Kirche in England. 1734. 8.

Gilb. Burnet's Reformationsgesch. der Kirche von England. Aus dem Engl. im Auszuge von Mittelstedt. Th. I. II. 1765—70. 8.

J. Strype: Annals of reformation and establishement of religion and others various occurrences in the church of England. Vol. I—IV. 1709—38. 8.

(*Rambach's*) Schicksale der Protestanten in England, aus Engl. Geschichtschreibern. Th. I. 1762. 8.

C. F. Staeudlin's allgem. Kirchengeschichte von Grossbrit. Th. I. II. 1819. 8.

(*Alb. v. Haza Radlitz*) vollständiger Auszug der Geschichte Englands; von D. *J. Lingard.* 1831. Th. I. II. 8.

---

§. 201.

Ecclesia evangelica in *Magna Britannia* a multis quidem familiae Reformatorum adnumerari solet; quod tamen neque cum historia, neque cum statu praesenti et ordine ecclesiastico prorsus congruit. Verum quidem, *Presbyterianos*, *Puritanos* aliasque familias minores dogmata atque instituta Calvini habere; sed *Ecclesia Episcopalis*, quae dominatur et a potiori *Ecclesia Anglicana* s. Superior (*the High-Church*) vocatur, inter ecclesiam evangelicam et catholicam in medio consistit, et novam propriamque ecclesiae efficit formam, quae nonnullis gaudet virtutibus etiam aliis ecclesiis commendandis. Nititur auctoritate XXXIX Articulorum, qui instar legis fundamentalis totius regni valent.

Joh. Durelli historia rituum s. ecclesiae Anglicanae, nec non de origine, progressu et rebus gestis Sectarum Presbyterianae et Independentium. 1672. 4.

Guil. Nicholsii defensio ecclesiae Anglicanae. 1708. 12.

Ge. Ritschel de ceremoniis eccl. Anglic. 1681. 12.

G. G. Roscii collatio eccl. Anglicanae Confessionis cum August. Conf. 1731.

Sev. Lintrupii Specimen Angliae Lutheranizantis. 1717.

Edzardi de fundamentali dissensu inter ecclesiam ev. Lutheranam et Anglic. 1718. 4.

Erörterung der Frage: ob die bischöfl. Kirche in England der Lutherischen oder Reformirten näher komme? 1717. 8.

Staeudlin's kirchl. Geogr. u. Statistik. Th. I. p. 135 seqq.
Küttner's Beytr. zur Kenntniss des Innern von England. St. XV. p. 3—116.

§. 202.

Mutationes a Rege *Henrico VIII.* a. 1534 in rebus ecclesiasticis factae reformationis titulo neutiquam possunt ornari. Nam rex haud ita pridem a Pontifice *Defensor fidei* solemniter salutatus, paulo post, quum in causa divortii Curiam Romanam minus obsequiosam habuisset, bona ecclesiastica cupide arripiens omnemque nexum cum hac Curia tollens semetipsum *supremum ecclesiae Anglicanae gubernatorem* proclamavit. Tantum autem abfuit, ut in doctrina et in ritibus ullam emendationem admittere voluerit, ut a. 1539 *sex leges regias de fide* promulgaret, quibus iidem abusus probantur et praescribuntur, quorum causa in aliis terris reformatio facta est. Inscio atque invito rege *Thomas Cromwellius*, Cancellarius, et *Thomas Cranmerus*, Archiepiscopus Cantuariensis, plura effecerunt, quae emendationem status ecclesiastici possent praeparare.

Burnet's Ref.-Gesch. von England. Th. I.
J. A. Heumann de titulo defensoris fidei. cf. Poecile. T. III. p. 261 seqq.
— — — de Lutheri libro adv. Regem Angl. Ibid. T. II.

§. 203.

Sed mortuo Henrico a. 1547 sub auspiciis *Eduardi VI.*, nondum aetatem habentis, causa

evangelica laetius prosperavit, duce *Crammero*, qui, Bucero, Fagio, Petro Martyre aliisque Theologis ex Germania evocatis, puriorem Evangelicorum doctrinam et cultum instituit. Confessio fidei XLII articulis, nova Liturgia cum Catechismo, et nova constitutio juris ecclesiastici sub titulo: Reformatio legum ecclesiasticarum a. 1547—1553 edita. Hujus tamen reformationis fructus ecclesia Anglicana perdere videbatur, quum, mortuo Eduardo, ejus soror *Maria* ad regnum pervenisset, quae omni studio adeoque saevitia Papatum restituit. Sed post quinquennium, sub felicissimo regno *Elisabethae*, quae a. 1558—1603 sceptra tenuit, et cui, post expurgationem omnium Papatus reliquiarum et post *Uniformitatis Decretum* (a. 1562), *Articuli triginta et novem*, a. 1571 sanctione pragmatica promulgati, *summam ecclesiae gubernationem* tribuerunt, omnia in melius mutata, ita ut ecclesia episcopalis ad eum perveniret statum, quem usque ad nostra tempora, quamvis non sine variis turbationibus, feliciter conservavit.

J. Strype's Annals of reformation — — — during the reign of Queen Elisabeth. T. I. II. f.
— — the life and acts of *Matth. Parker*. 1711. f.
Burnet's Ref.-Gesch. Th. II. III.
Bennet's essay on the thirty nine Articles.
Staeudlin's allg. Kirchengesch. von England. Th. I. p. 346 seqq.

§. 204.

Jacobus I., Stuartus, successor Elisabethae primusque rex, qui Angliam et Scotiam imperio

conjunctas tenuit, in controversiis et disputationibus theologicis magis versatus quam in causis politicis et arte regnandi, controversias Episcopalium et Presbyterianorum, Puritanorum et Nonconformistarum non modo non suppressit, sed auxit, et indolentia non excusanda Reformatos in Germania, inprimis in Palatinatu, ejus auxilium implorantes, destituit. Ejus filii *Caroli I.* imprudentia tot motus ecclesiastici et politici excitati, iique ad tantum revolutionis fastigium proventi, ut infelicissimus ipse rex regnum, libertatem vitamque amitteret (a. 1649). Tempore *Parliamenti longi* et *Oliv. Cromwellii*, Protectoris, nova Secta ecclesiastica et politica *Independentium* omnem ordinem ecclesiasticum delere ecclesiamque episcopalem supprimere coepit. Mortuo autem Cromwellio et *Carolo II.* restaurato (a. 1663), ecclesia episcopalis in integrum restituta, posteaque, expulsa a regno Stuartorum Dynastia (a. 1688), et *successione Hannoverana* instaurata (a. 1701 et 1714), magis magisque aucta est et roborata. Novum periculum imminet ex *lege de reformando statu* (*Reform-Bill*) nuperrime lata, de cujus effectu nondum satis constat.

W. Harris hist. and critical account of the life and writings of James I. 1754. 8.

— — — — — — — of Charles I. 1758. 8.

P. Heylin Cyprianus Anglicus, or the history of the life and death of *W. Laud.* 1688. f.

Dan. Neal's history of Puritans, or Protestant Nonconformists. T. I—IV. 1732—38. 8.

Gilb. Burnet history of his own time. Th. I. II. 1720.

Ed. de Clarendon histoire de la rebellion et des guerres civiles d'Angleterre. 1704. T. I—VI. 12.

Acta publica of an Act for exemting their Majesties Protestant Subjects dissenting from the Church of England etc. 1689. 4.

Th. Sommerville's history of Great-Britain during the reign of Queen Anna. With a Dissertation concerning the danger of the Protestant Succession. 1798. 4.

John Adolphus the history of England from the accession of King George III. to the conclusion of peace in the year 1783. Ed. 3. T. I—III. 1810. 8.

De statu ecclesiastico scripserunt *Benthem*, *Alberti*, *Wendeborn*, *Küttner*, *Goede*, *Niemeyer*, *Fliedner* aliique.

§. 205.

Praeter Hollandiam et Rempublicam in America septentrionali nulla terra tot sectas et diversarum religionum confessiones fovet, quam Magna Britannia. Hujus varietatis causa, cum in indole atque historia populi, tum in *Edicto Tolerantiae* a. 1689 promulgato est quaerenda. Omnes cum principiis ac legibus ecclesiae episcopalis non consentientes Protestantes vel *Nonconformistae*, vel *Dissentientes* (*Dissenters*), utrumque tamen nomen saepe diverso, vel latiori vel strictiori, sensu, vocari solent. Inter Sectas celebriores referendi: *Anabaptistae* s. *Baptistae*, *Arminiani*, *Sociniani* s. *Unitarii*, *Quackeriani* et *Methodistae*, inde ab a. 1727 et 1729 a *Wesselio* et *Whitefieldio* institutis. Horum numerus recentissimis temporibus valde auctus; sed pars eorum cum Episcopalibus conjuncta. Catholici in Hibernia semper praevaluerunt; nostris autem diebus, post *Emancipationis legem*, etiam in Anglia et Scotia eorum numerus mirum in modum crescere coepit.

De Sectis, quibus M. Britannia abundat, exposuerunt *Wendeborn:* Zustand des Staates, der Rel. u. s. w. in Gross-Brit. Th. III. p. 244 seqq. et *Staeudlin's* kirchl. Geogr. u. Statist. Th. I. p. 164 seqq.

§. 206.

In litterarum omnis generis amore et Theologiae studio saec. XVI. et XVII. ecclesia Anglicana illustrem habuit famam. Inter Episcopos et Praesules eminent praeclara nomina doctorum, qui de interpretatione S. S., de historia ecclesiastica, et antiquitatis studio, deque orientalium linguarum promotione immortaliter meruerunt. Fuit quoque tempus, ubi clari oratores sacri etiam nostris pastoribus praeluxerunt. Verum autem est, inde a medio saec. XVIII. pauciores doctos scriptores inveniri cum antecessoribus comparandos. Sed errant, qui Episcopales solos segniores minusque gnavos factos esse dicunt; nam etiam inter Presbyterianos et Dissentientes rariores nunc sunt scriptores praeclari, quam antea. Rectius igitur dicendum, in hoc regno studia theologica praesenti aevo non amplius esse in eo flore, quo olim gavisa sint.

Inter multos nominandi: Benson, Beveridge, Bingham, Thom. et Gilb. Burnet, Cave, Clarke, Castellus, Cudworth, Doddridge, Doddwell, Fell, Grabe, Hammond, Holmes, Hyde, Jones, Kennicott, Lardner, Lightfoot, Lowth, Middleton, Mill, Pearson, Pococke, Potter, Prideaux, Sherlock, Stackhouse, Sykes, Taylor, Tillotson, Usher, Walton, Warburton, Watson, Whiston, aliique.

LOCUS IV.

Fata ecclesiae Catholicae.

Caes. Baronii Annales eccles. contin. a *Bzovio*, *Spondano* et *Raynaldio* in nov. Annalium edit. cur. *Mansi*. 1738—57. f.
J. J. Rambach's Gesch. der römischen Päpste seit der Reformation. Th. I. II. 1779—80. 4.
Ant. Varillas histoire des revolutions arrivées dans l'Europe en matiere de religion. Ed. II. 1689—90. T. I—VI.
M. J. Schmidt's neuere Geschichte der Deutschen; fortges. von *Milbiller* u. *Dresch*. Th. VII seqq.
H. E. G. Paulus Beyträge zur Gesch. der kathol. Kirche im XIX. Jahrh. 2. Ausg. 1823. 8.

---

§. 207.

Scriptores Catholici, qui ipsum vocabulum *reformatio* ut nomen arrogantiae vel iniquitatis taxant, et mutationes in rebus ecclesiasticis inde a saec. XVI. factas non emendationem, sed potius *turbationem sacrorum*, vel *insurrectionem ecclesiasticam* dicere amant, eo ipso ostendunt, se nec notionem reformationis rectam, nec discrimen inter *catholicam* ecclesiam et *Romanam* satis perspexisse. Iterum non recte agunt, dum, Protestantibus non titulum *ecclesiae*, sed *sectae* tantum tribuentes, ecclesiam Romanam solam *universalem* jactant. Nam sciendum erat, hanc universalitatem non solum a Protestantibus, sed etiam a Graecis et Orientalibus gravissimis impugnari argumentis, et ecclesiam evangelicam, certe in Germania, publicis legibus, pactis et sanctionibus pragmaticis

jura ac privilegia *ecclesiae particularis*, qualis etiam Romana, obtinuisse. Ceterum prudentiores et cordatiores inter illos ejusmodi argumentationibus abstinentes ipsi fatentur, ecclesiam catholicam reformationi multum debere; ideoque novam historiae ecclesiasticae Periodum ab illa inchoare, nulli dubitant.

Praeter *Bossuetum* (histoire de variations des Protest.), *Gregorium* (hist. des Sectes religieuses. T. II. p. 262 seqq.) et *San-Simonium* (Nouveau Christianisme par St. Simon. Par. 1825. p. 173), plures nostri aevi scriptores, e. gr. Stolberg, Doller aliique, Protestantibus titulum *ecclesiae* denegant. Cf. *Fr. Brenner's* katholische Dogmatik. Th. I. 1826. p. 246: „Zwar könnten hier vorzüglich zwey Gemeinden durch ihre glänzenden Prädicate in die Irre führen, indem die eine die *Orthodoxe*, die andere die *Evangelische* heisst; allein wenn beyde Ausdrücke nach ihrem wahren Sinn genommen werden, wenn Orthodoxie den rechten, von Christus herabgekommenen Glauben, Evangelium die ganze Lehre des Heils bedeutet, und nicht etwa ein aufgeschriebenes Stück davon, wie auch Paulus in seinen Briefen das Evangelium schon voraussetzt und zum Grunde legt: so können jene Prädicate eigentlich nur der *Katholischen* d. i. der den Glauben und das Evangelium Christi bekennenden und darnach eingerichteten Kirche zukommen, einer andern Gesellschaft aber nur einiger Maassen, nur in unrichtiger Bedeutung, und mit dem Worte „*Kirche*“ gar nicht beygelegt werden.“

Fr. Kramer de religione et ecclesia catholica sola salvifica et de neotericae Catholicitatis originibus. T. I—VI. 1814—18.

Dan. Wyttenbach's Vortheile der Reformation für die Römisch-Katholischen. 1779. 8.

§. 208.

In constituendis atque enumerandis hujus historiae Periodis scriptores in diversas abeunt partes; quod facile concedendum, quia plures adesse possunt rationes, cur potissimum vel ad statum externum, vel internum, vel ad scopum, consilium et desiderium singulare respiciatur. Convenire autem solent VV. DD. in his quinque constituendis: I. A reformationis initio usque ad decreta Concilii Tridentini, a. 1517—1563. II. A Concilio Tridentino usque ad Jansenismum, a. 1563—1640. III. A Jansenismo usque ad controversias de Constitutione et Bulla Unigenitus, a. 1640—1721. IV. A Constitutione Unigenitus usque ad suppressionem Ordinis Jesuitarum, a. 1721—1773. V. Ab a. 1773 usque ad nostros dies. Memorabilia hujus temporis brevi delineatione indicanda.

Sequuti sumus *Henkium* aliosque, qui non, quod plerumque fieri solet, in duabus Periodis, I. Ab a. 1517—1648. II. Ab a. 1648 usque ad nostra tempora, acquiescendum putant.

Sincerus et moderatus scriptor *Matth. Dannemayr* (Institut. hist. eccl. N. T. Ed. 2. 1806. T. I. p. 26. T. II. p. 170) subdivisionibus omissis omnem historiam eccl. V Periodis enarrat, ultimamque inscribit: „*A Luthero usque ad nostram aetatem* (1805).“ Vocabulo *reformatio* non utitur, sed c. I. titulum fecit: „*Historia motuum* saec. XVI. religionis ergo exortorum“ — quam sine ira et studio exponit. Idem auctor T. II. p. 192 recte scribit: „Postquam tot homines ab ecclesia Romana secessionem fecerant, *tres primariae ecclesiae per Occidentem natae sunt, Romano-Catholica scilicet, Lutherana, quam etiam Evangelicam vocant, et Reformata.*“

PERIODUS I.

A reformatione usque ad Concilium Tridentinum, a. 1517—1563.

---

§. 209.

In historia primae periodi, quae novem lustra comprehendit, nil magis necessarium, quam ut fortunam adversam, quam initio saec. XVI. experta est ecclesia[1] Romana, ejusque causas accuratius examinemus. Si vero, omissis, quae in genere vel ad vim veritatis et providentiae divinae voluntatem, vel ad statum religionis, litterarum, populorum et regnorum pertinent, causas speciales ac proximas spectamus, has fere esse videbimus: I. Quod defuerint ecclesiae Pontifices hisce temporibus idonei et ad ecclesiam prudenter ac fortiter regendam. Tales autem Leo X., Hadrianus VI. (brevi tempore morte abreptus), Clemens VII., Paulus III., Julius III., Marcellus II. (Pontifex XXII dierum), Paulus IV. et Pius IV. nullo modo fuerunt. II. Quod nec inter Cardinales et Episcopos, nec inter Theologos, nec inter Saeculares, viri essent, qui Curiam Romanam cum effectu defendere aut possent, aut vellent. III. Quod Imperatores, Reges, Principes et Magistratus, tam ex causis politicis, quam religiosis Pontificem desererent, adeoque cum adversariis causam facerent communem.

1) *W. Roscoe* the life and Pontificate of *Leo X.* T. I—IV. 1805. *C. Burmanni* analecta hist. de *Hadriano VI. Ziegler* hist. *Clementis VII.* in

Schellhorn amoenit. hist. eccles. T. I. p. 210 sq. Card. *Quirini* imago optimi Pontificis expressa gestis *Pauli III.* 1745. 4.

2) Plus damni quam commodi ecclesiae cathol. attulerunt: *Alexander*, *Cajetanus*, *Prierias*, *Hochstraten*, *Joh. Eck*, *Faber*, *Cochlaeus* aliique ... *Desid. Erasmus*, quamvis saepius excitatus et provocatus, excepto uno contra Lutherum tract... defensioni se subtraxit.

3) Testes sunt *Carolus V.*, *Franciscus I.*, *Henricus VIII.*, *Fridericus Sapiens*, aliique. Ipse *Georgius*, Dux Saxoniae, adversarius Lutheri acerri... scripsit de *Consilio*, *qua ratione ecclesia sit reformanda.* Cf. *Seckendorf* hist. Lutheran. p. 146 ... Archiv für Kirchengesch. II. B. 3. H. p. 397 seq.

§. 210.

Incredibili negligentia et levitate Romani ab initio res in Saxonia atque Helvetia actas tract...runt. Tandem e somno quasi expergefacti ...nensque capiti et membris periculum videntes, ... avertendum illud de remediis cogitarunt, quae ... nullum, aut non sufficientem habuerunt effect... quia non justo tempore atque maturo sunt adhibi... Non agnoverunt, temporum rationes rerumque co...ditiones hoc aevo ita jam esse mutatas, ut de ...vis remediis et subsidiis, quibus genio saeculi ...viam iri potuerit, serio esset cogitandum. Si ... eam hanc recte intellexissent, non *librorum prohibitionem et combustionem* mandassent, neque ex*communicationem* adhibuissent, quum ipsos fug... non posset, quam brutum hoc tempore esset ...ctum illud fulmen Vaticanum, nisi *proscriptio politica* accederet. Graviter igitur ab hac parte ...

peccatum, omneque hoc negotium exitum habuit Curiae Romanae admodum perniciosum.

Fatentur hoc et alia ejusdem argumenti *Ge. Cassander* in Consultat. ad Imp. Ferdinand. I. et Maximil. II. de articulis relig. inter Catholicos et Protestantes controversis. 1664. Ed. H. Grotii 1642. 8. et *Ge. Wicelius* in libro: Via regia, s. de controversis rel. capitibus conciliandis sententia. 1564. ed. H. Conringii. 1669. 4. Addita est: Appendix de abusibus, s. Enumeratio abusuum ac incommodorum quorundam Ecclesiae Romanae in causa propria deprehensorum. Ipse Pontif. *Paulus III.* necessariam esse reformationem agnovit eamque Concilio Tridentino a. 1547 proposuit. Cf. Bulla Reformationis Pauli III. P. ad historiam Conc. Trident. pertinens, concepta, non vulgata. E cod. mss. Neapolit. edidit annotat. illustr. *H. N. Clausen.* 1830. 4.

§. 211.

Unum tandem inventum est ad reagendum, quod dicunt, efficacius remedium, quo citius adhibito res adflicta melius fortasse stabiliri potuisset. Neminem latet, hoc remedium fuisse *Ordinem Jesuitarum*, ab *Ignatio de Loyola*, Hispano, nec docto nec prudenti, institutum et a Paulo III. a. 1540 confirmatum. Ex illo inde tempore novus ordo religiosus Sedi Romanae ad perpetuam parassimamque obedientiam obstrictus, incredibili velocitate crevit, quippe qui post viginti annos plus quam decem millia numeraret membrorum, in Italia, Germania, Lusitania, Hispania (in Europa et America), Gallia, Belgio aliisque terris disseminatorum. autem Protestantibus hostis extitit longe perniciosissimus; nam Patres ex societate Jesu, in suis scholis et collegiis litteris et artibus bene instructi,

cum Theologis evangelicis aequalibus pugnabant armis philologicis et historicis, eosque dialecticis artibus saepe, versutia atque astutia autem semper, superabant. Mirificis artibus juventutem, populum et principum aulas regebant, simulque omnes vires artesque eo dirigebant, ut Protestantium discordiam excitarent atque alerent.

P. Ribadeneirae vita Ignatii Lojolae. 1572. Ed. Ingolst. 1690. Ignatii L. vita auctore *Maffeo* (1585), *J. Fr. Hane* (1721), *W. Frank* (1802. Th. I. II.) al.
Rud. Hospiniani historia Jesuitarum. 1619. f.
(*J. Chr. Adelung's*) Vers. einer neuen Gesch. des Jesuiten-Ordens. Th. I. II. 1769. 8.
P. Ph. Wolf's allgem. Gesch. d. Jesuiten. Th. I—IV. Ed. 2. 1803. 8.
A. J. B... Precis de l'histoire génèrale des Jesuites depuis la fondation de leur ordre jusqu' en 1826. Paris 1826. 18.
Corpus institutorum Soc. Jesu. 1709. T. I. II. 4.
Institutum Soc. Jesu. 1757. T. I. II. 4.
Claudii Aquavivae ratio et institutio studiorum Soc. Jesu, s. Directorium exercitiorum S. Ignatii. 1615. 4.

§. 212.

Tali auxilio quum se adjutam sentiret ecclesia Romana, tandem aliquando ad *Concilium oecumenicum* convocandum animum adpulit. Maluisset quidem, quum ejusmodi Concilia semper essent invisa, et decreta Concilii Pisani, Constantiensis et Basileensis recenti adhuc inhaererent memoriae, vel prorsus evitare, vel diutius procrastinare. Sed non solum Protestantes solemniter et iterum iterumque ad judicium generale provocabant, sed ipse Imperator et Principes catholici conclamando postulabant; quare obtemperandum videbatur. Sed con-

ditiones sunt propositae, quae Protestantibus nullo modo comprobari possent. Quum itaque recusarent et odium, quod pacem concordiamque turbarent, in se converterent, non mutatis conditionibus eaque nunc festinatione, qua antea tarditate, d. XIII. Decembris a. 1545, eodem tempore, quo Imperator bellum contra Confoederationem Schmalcaldicam parabat, in urbe Tridento inchoatum est Concilium, quod, quamvis non nisi tres Cardinales, viginti quinque Episcopi et pauci Theologi essent congregati, nihilominus tamen *generale* se declaravit.

De iterata appellatione Protestantium ad Concilium generale, deque recusatione Concilii Tridentini v. *Sleidani* hist. lib. IV. p. 93. 95 seqq. lib. VI. p. 314. lib. VIII. p. 229 seqq. lib. IX. p. 245. lib. XVI. p. 459 seqq. lib. XXII. p. 706 seqq. lib. XXIII. p. 719 seqq. *Seckendorf* hist. Luth. lib. III. p. 95 seqq. *C. M. Pfaff* Acta publ. eccl. Würtemberg. p. 276 seqq. *Melanchthonis* Opp. Viteb. 1580. P. I. p. 121 seqq.

§. 213.

Historia hujus Concilii, a. 1547—1551 in urbem Bononiam translati, ab a. 1551 Tridenti iterum renovati, et denique, post intervallum octo annorum, a. 1563 eadem intempestiva festinatione, qua coeptum, finiti, clarissime docet, in hac congregatione non tam causam *ecclesiae catholicae*, quam potius causam *ecclesiae Romanae* esse actam. Inde factum est, ut *Decreta Tridentina* a Pio IV. a. 1564 una cum *Professione fidei* publicata et norma universalis praescripta, in Italia, Germania et Polonia aegre, et vix ac ne vix

quidem, in *Hispania* autem et *Gallia* plane non admitterentur. Canones quidem dogmatici approbationem habuerunt, quare etiam *Catechismus Tridentinus*, qui idem *Romanus* dicitur, a Pio V. a. 1566 emissus, omnium fere plausum tulit. Sed canones disciplinares et decreta de jure et regimine ecclesiastico non solum pleresque juris canonici Doctores, sed etiam ipsos Principes, fidei catholicae impensius deditos, quales Ferdinandus I, Philippus II. aliique, strennos habuerunt adversarios.

Pietro Soave Polano (*Pauli Sarpi*) storia del Concilio di Trento. 1619. 4. Vers. Germ. 1631. 4. Vers. Gallic. cum adnotat. *Courrayeri*. Lond. 1736. T. I. II. f. (germanice reddita a F. E. Rambach. 1761—65. Th. I—VI. 8.)

Sf. Pallavicini Istoria del Concilio di Trento. Rom. 1656—57. T. I. II. f. Ed. Mediol. 1717. T. I—III. 4. Vers. lat. *J. B. Giattini*. 1670. Vol. I—III. 4.

Chr. A. Salig's vollst. Historie des Trident. Conc. 1741—45. T. I—III. 4.

Jod. le Plat Monuments pour servir a l'histoire de Concile de Trente. 1781. T. I—VI.

Histoire de la reception du Concile de Trente dans les differentes états cathol. 1756. T. I. II. 8.

Th. J. Planck Anecdota ad historiam Conc. Trident. Pr. I—XXIII. 1791—1815. 4.

Canones et decreta Conc. Trid. Ed. *P. Manutii*. Rom. 1564. f. Ed. *Jod. le Plat*. Lovan. 1779. 4.

Mohnike's urkundl. Gesch. der sogenannten Professio fidei Trident. 1822. 8.

Catechismus ex decreto Conc. Trid. Romae 1666. Cf. *Koecher* catechet. Gesch. d. Röm. K. p. 76 seqq.

§. 214.

Causa Protestantium hoc dissensu melius adhuc potuisset adjuvari, si major apud illos re-

gnasset concordia atque prudentia. Hanc autem ut omni modo impedirent atque hebetarent, Jesuitarum maxima fuit cura, qua in Germania, Hispania et Gallia id potissimum egerunt, ut Principum, Episcoporum et Theologorum animos ab ecclesia catholica avocarent Curiaeque Romanae subjicerent. Illis quoque tribuendum esse videtur, quod postea in ecclesia catholica fere nemo de Concilio oecumenico et libero cogitaret: nisi quis vota Henrici IV., Regis Galliae, de *republica christiana* constituenda, porro decreta Sorbonnae a. 1713, denique singulorum Episcoporum et Theologorum desideria in hunc censum vocare velit.

Artes Jesuiticae. Argentor. 1710. ed. 3. 1717. 8.
Machiavellismus Jesuiticus: Grausame und böse Anschläge der Jesuiten wider die vornehmsten protestant. Höfe zur Ausrottung der Protestanten — — von einigen gewissenhaften Katholiken. 1762. 8.
O. v. Deppen die Demagogie der Jesuiten. 1826. 8.

PERIODUS II.

A Concilio Tridentino ad Jansenismum, a. 1563—1640.

§. 215.

Hujus Periodi, integrum prope saeculum comprehendentis, res memorabiliores hae fere sunt:

I. Bulla, quam Pius V. a. 1567 sub titulo: *In coena Domini* emisit, tot exsecrationibus dirisque in omnes dissentientes est repleta, ut omnem

pacis spem funditus deleret, et cordatioribus inter Catholicos in Italia, Germania et Gallia valde displiceret. Nova hujus bullae forma, qua a. 1627 Urbanus VIII. edidit, non minuit admirationem atque indignationem, sed auxit. II. *Sixtus V.*, vir fatis ingenioque prorsus singularis, per quinquennium (a. 1585—1590) in Cathedra Petrina sedens, eximia prudentia et constantia res ecclesiasticas, *in XV Congregationes* dispositas, administravit. III. *Clemens VIII.* a. 1593 imprudenter *belli papalis litterarii* factus auctor, et a. 1595 *Indicem Tridentinum librorum prohibendorum* proposuit atque auxit. Idem *nunciis perpetuis* jura episcopalia plus quam antea violavit. IV. *Congregatio de propaganda fide catholica* a *Gregorio XV.* a. 1622 eo consilio, ut *Missiones* in America et Asia eo magis prosperarent, instituta, cui *Urbanus VIII.* a. 1627 *Collegium* s. *Seminarium* de propaganda fide adjunxit, in magnum ecclesiae catholicae commodum, simulque eximium litterarum, inprimis Orientalium, cessit emolumentum. Idem Urbanus VIII. de *Breviario Romano* emendatius edendo bene meruit.

1) *Le Bret's* pragmatische Geschichte der Bulle: in coena Domini. 1769—70. Th. I—IV. 4.

2) *V. Robardi* Sixti V. gesta quinquennalia 1540. 4. *G. Leti* Historie des P. Sixtus V. aus dem Italien. übers. 1693. Th. I—III. 8. *Cas. Tempesti* storia della vita e geste di Sisto V. 1754. Th. I. II. 4. *v. Archenholz* kleine Schriften. N. IV.

3) *Th. James* bellum papale, sive concordia discors Sixti V. et Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem. 1600. 4. ed. 2. 1678. 8.

4) Erectio s. Congregationis Cardinalium nec non Praelatorum ac Regularium virorum de fide catho-

lica propaganda. V. Bullarium Magn. Rom. T. III. p. 421 seqq. *Bayeri* hist. Congregat. de prop. fide. *Urb. Cerri* état present de l'eglise Romaine dans toutes les parties du monde. 1716. 8. p. 290 seqq.

§. 216.

V. Eodem tempore plures *Congregationes* in Italia et Gallia, ad promovendam pietatem, disciplinam solidioremque eruditionem sunt instauratae, inter quas *Congregatio Benedictinorum S. Mauri*, *Patres doctrinae christianae*, *Patres Oratorii*, et *Congregatio de Missionibus* maximam consequutae sunt famam. Ex earum gremio prodierunt viri, quorum nomina inter adjutores primariosque statores litterarum referuntur: *Mabillonius*, *Montefalconius*, *Ruynartus*, *Martianaeus*, *Martenus*, *d'Acherius*, aliique celeberrimi Benedictini. Neque minus clari *Patres Oratorii: Nicol. Malebranchius*, *Joh. Morinus*, *Ludov. Thomassinus*, *Richardus Simon*, aliique multi.

5) *Ph. le Cerf* Bibliotheque historique et critique des auteurs de la Congregation de St. Maur. 1726. 8.
De Patribus doctrinae chr. v. Bullar. M. Rom. T. III. p. 346 seqq.
Vita b. Patris *Phil. Nerii*, Florentini, Congregationis Oratorii fundatoris etc. 1602. 8.
Habert vie du Card. de Berulle.
Ch. Perrault les hommes illustres de France. T. I. II. f. 1696—1700. ed. nov. Par. 1805. f.

§. 217.

VI. Ex scholis et collegiis *Jesuitarum* eminent in omni genere litterarum nomina clarissima

Roberti Bellarmini, *Dionys. Petavii*, *Nicol. Serarii*, *Jacobi Sirmondi*, *Famiani Stradae*, *Joh. Marianae*, *Ludov. Maimburgi*, *Jac. Gretseri*, *Athanas. Kircheri*, *Franc. Suarezii*, *Horat. Tursellini*, *Jac. Baldii*, *Ludov. Bourdalovii*, multorumque aliorum. **VII.** Nulli ordini vel congregationi adscriptus *Caesar Baronius*, eccl. Romanae Purpuratus, praeclare de sua ecclesia meruit Annalibus eccl., opere historico, quod Centuriis Magdeburgicis meliori successu, quam alii ante et post illum, opposuit. Paulo post Cardinalis *Johannes Bona* rarum pietatis, eruditionis atque ingenii praebuit exemplum, et de psalmodia divina et ritibus ecclesiasticis melius quam alii scripsit.

6) *Petr. Ribadeneirae* Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu.

Phil. Alegambii Bibliotheca Jesuitica. 1643. f. Nova edit. cum Alegambii additionibus mss. auct. *P. Sotwel.* 1675. f.

F. M. Pelzel's Böhmische, Mährische und Schlesische Gelehrte u. Schriftsteller aus d. Orden der Jesuiten. 1786. 8.

Hier. Barnabei purpura sancta, seu vita purpurati principis *Caes. Baronii.* 1651. 4.

PERIODUS III.

A Jansenismo usque ad Constitutionem Unigenitus, a. 1640—1721.

---

§. 218.

Memorabilia ecclesiastica hujus temporis, sex decenniis **decurrentis, ad haec fere capita reducenda:**

I. Liber *Cornelii Jansenii*, Episcopi Iprensis, viri docti ac pii, a. 1638 jam mortui, a. 1640 editus controversiam excitavit, qua ecclesia catholica nullam habuit diuturniorem atque acriorem, quaque inprimis Gallia et ecclesia Belgica mirum in modum sunt commotae. Urbanus VIII. a Jesuitis instigatus a. 1642 bulla: *In eminenti* Jansenii doctrinam Protestantismo faventem damnavit; sed parum abfuit, quin hoc edictum ab omni parte recusaretur. *Patres Portae Regiae* (*Port-Royal*), ducibus *Anton. Arnoldo*, *Petro Nicolio*, *Blasio Pascalio* aliisque, mascule defendebant doctrinam Augustini a Jansenio iteratam puriorem que morum disciplinam Jesuitis et Aulicis invisam, unde *Rigoristae*, interdum etiam *Appellantes*, sunt dicti. Ex causis politicis sub Ludovico XIV. et XV. Jansenistae, quorum nomen in Gallia summum erat opprobrium (ut olim Manichaeorum), vi suppressi et pene exterminati. In *Batavia* ad hunc usque diem habent coetum, non numerosum quidem, sed bene ordinatum, ab ecclesia Romana separatum, cujus moderator est inde ab a. 1629 Archiepiscopus Ultrajectinus. Pontificem Romanum (id, quod in Synodo Ultrajectina a. 1763 declararunt) caput ecclesiae catholicae agnoscunt, sed ejus infallibilitatem negant.

(*Cornelii Jansenii*) Augustinus, seu doctrina Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine et medicina, adversus Pelagianos et Massilienses. 1640. f. 1641. 1643. f.

Fromondi Synopsis vitae Jansenii. 1641.

Ant. Arnauld Apologie de Jansenius et de la doctrine de St. Augustin. 1644. 4.

Melch. Leydecker historia Jansenismi. Lib. I—VI. 1695. 8.

(*Gabr. Gerberon*) histoire generale du Jansenisme. 1700. T. I—III. 8.
(*Colonia*) Dictionaire des livres Jansenistes, ou qui favorisent le Jansenisme. 1756. T. I—IV. 12.

§. 219.

II. Certamen illud Jansenisticum, alias quidem magnum scandalum, id tamen habuit commodi, ut *libertas ecclesiae Gallicanae*, antiquissimis jam temporibus vindicata, sed saepius violata, denuo et firmius quam antea restitueretur. Praecesserant *Pithoeus* (Pithou), *Puteanus* (de Puy), *Richerius* aliique scriptores hanc partem juris canonici illustrantes. Sed *Synodus nationalis Sangermanensis* (St. Germain) a. 1682, sub auspiciis Cardinalis *Richelii* (Richelieu), confirmavit *quatuor propositiones Cleri Gallicani*, quae ab illo tempore, paucis exceptis, instar sanctionis pragmaticae in Gallia fuerunt. Sunt autem hae: 1) Pontificis Romani nulla in temporalia potestas. 2) Concilium oecumenicum supra Papam. 3) Pontifex in causis juris nullam habet auctoritatem, nisi juxta canones et consuetudines ecclesiasticas. 4) In rebus fidei ejus decisiones, sine consensu ecclesiae, non sunt certae atque infallibiles.

P. Pithou: Les libertes de l'eglise Gallicane. 1594.
P. du Puy traitez des droits et libertes de l'eglise Gallic. 1638. f. Ed. 3. 1731. T. I—III. f.
Edm. Richerii Tractat. de potestate eccles. et politica. 1611.
Preuves des Libertes de l'eglise Gallicane. 1731. T. I. II. f.
Petr. de Marca de concordia sacerdotii et imperii, s. de libertatibus eccl. Gallic. Libb. VIII. Par. 1641. f.

ed. Par. 1704. T. I. II. f. Ed. Bamberg. 1788. T. I—IV. 4.

Cleri Gallicani de potestate eccl. declaratio. Cf. *J. B. Bossueti* Defensio declarationis celeberrimae, quam de potestate eccl. sanxit Clerus Gallicanus d. 19. Martii 1682.

§. 220.

III. Curia quidem Romana omnem movit lapidem, ut hanc pessimi exempli emancipationem aut tolleret aut enervaret. Sed nec Innocentius XI., nec Alexander VIII., nec Innocentius XII., nec Clemens XI. protestando quidquam effecerunt. Bulla sub titulo: *Unigenitus Dei filius* a Clemente XI. a. 1713 contra *Paschasii Quesnellii*, Jansenismi defensoris, Novi Testamenti versionem et commentarium emissa, a Clero Gallicano ideo recusata est, quod non tam hujus auctoris librum, quam potius ipsissima N. T. dogmata in hac bulla esse damnata intelligeret. Nihilominus Clementis successor *Innocentius XIII.*, auxiliantibus Jesuitis et annuente Duce Aurelianensi, post mortem Ludovici XIV. Protectore, ut reciperetur, a. 1721 et 1728 impetravit. Attamen non defuerunt libertatis Gallicanae defensores, inter quos *Ludov. Maimburgius*, *Elias Dupinius* (*du Pin*), *Jac. Benignus Bossuetus*, *Franc. Fenelonius* et *Stephanus Baluzius* primum obtinent locum.

Chr. M. Pfaffii hist. Constitutionis Unigenitus et: Nova collectio Actorum publ. Constit. Unigen. 1711. 1721. 4.

Chr. H. Schilling hist. Bullarum Clementis VI. et XI. Unigenitus dictarum. 1719. 4.

Anecdotes et mémoires sécrets de la Constitution Unigenitus. 1732. T. I—III. Vers. german. 1755—63. 8.

Causa Quesnelliana. 1704. 4.
Quesnellismi hist. Synopsis. 1720. 8.
Pasch. Quesnel: Le nouveau Testament en Français avec des reflexions morales sur chaque verset, pour en rendre la lecture plus utile et la meditation plus aisée. 1671. 1693—94. Vers. germ. 1718. 4.

§. 221.

IV. Novam controversiam ad Theologiam ethicam et asceticam potius, quam ad dogmaticam pertinentem excitavit *Michael Molinos*, doctus ac pius Hispanus, Romae vivens et Innocentio XI. gratus. Qui quum in libro a. 1675 edito, saepius repetito, translato magnoque plausu lecto, docuisset, interiorem sanctificationem et mysticam contemplationem veram esse hominis perfectionem, operibus externis longe praeferendam, a Clero Gallicano tanquam cultus religiosi, confessionis peccatorum atque absolutionis sacerdotalis contemtor accusatus, et, quamvis suos errores retractasset, ab Inquisitione Romana a. 1687, annuente Innocentio, ad perpetuos carceres durasque castigationes damnatus est. Vivus et mortuus in Italia, Hispania, Gallia et Belgio multos habuit utriusque sexus admiratores atque imitatores, inter quos Cardinalis *Petruccius*, *Franc. de la Combe*, *Fenelonius* aliique viri, etiam foeminae, illustres, qui vel *Molinistae* (s. Molinosistae), vel *Quietistae* s. Hesychiastae, sunt appellati.

Mich. de Molinos Guida spirituale. Rom. 1675. 1681. Versio lat. *A. H. Franckii:* Manuductio spiritualis. 1687. Vers. German. *G. Arnoldi.* 1699. 1712. 16.
J. A. Schmidt Quietismi revolutio saec. XIV. et hujus. Cf. Dec. Dissertat. p. 147 seqq.

Recueil de diverses pieçes concernant le Quietisme et les Quietistes; ou Molinos, ses sentimens et ses disciples. 1688. 8.

§. 222.

V. *Missiones*, quarum utilitas jam olim intelligebatur et quarum gratia Congregatio de propaganda fide catholica (§. 200.) instituebatur, hoc aevo quam maxime sunt auctae atque amplificatae. Dominicani, Franciscani et Jesuitae tanta aemulatione huic negotio incubuerunt, ut plus vice simplici ad Pontificis auxilium, ad dirimendas lites inter hosce Ordines hac de causa ortas, esset recurrendum. Potissimum hoc factum in expeditionibus propagatoriis in India orientali, et in regno Sinico, Siamico et Tibetano; neque minus in diversis partibus Africae et Americae meridionalis. In provincia autem *Paraguaria* (Paraguay) Patres societatis Jesu non solum in *spiritualibus*, sed etiam in *saecularibus* tali modo moderatores rectoresque se gesserunt, ut apud Reges Lusitaniae atque Hispaniae magis magisque fierent suspecti, tandemque in justam incurrerent animadversionem.

Norbert Memoires sur les Missions des Pères Jesuites aux Indes Orient.

Cerri état présent de l'eglise Romaine. p. 173 seqq.

Lettres édificantes — — écrites des Missions par quelques Missionaires de la Compagnie de Jesus. Par. 1717—58. T. I—XXVIII. 8.

Ge. Pray hist. controversiarum de ritibus Sinicis. 1789. 8.

Muratorii hist. Missionis Paraguaricae.

PERIODUS IV.

A Constitutione Unigenitus usque ad suppressionem Jesuitarum, a. 1721—1773.

---

§. 223.

Inter Pontifices hujus aevi duo eminent non uno nomine laudandi. *Benedictus XIV.* (ante electionem a. 1740 factam *Prosper Lambertini*), doctissimus Paparum, de *canonisatione Sanctorum* et *diebus festis* aliisque rebus ecclesiasticis praeclare scribens in controversiis theologicis et litterariis discrimen inter auctorem, sive scriptorem, et Pontificem bene ac prudenter observavit, clerum ad studia litteraria excitaturus Romae quatuor Academias instituit et antiquam Universitatem Bononiensem reformavit. In rebus politicis, maxime in conflictu cum Republica Venetiana, moderatum ac prudentem se gessit, in vita autem privata humanitatis et modestiae singularis dedit exemplum. In *Clemente XIV.* (e familia *Ganganelli*) a. 1769—1774 in cathedra sedente ingenium cum eruditione artisque amore (quem *Museum Clementinum* testatur) conjunctum. Ut concordiam cum regibus Lusitaniae, Hispaniae et Galliae, imprudentia Clementis XI., Benedicti XIII. aliorumque antecessorum turbatam, restitueret, pluribus votis et postulatis eorum annuit, inter quae abolitio Jesuitarum longe fuit gravissima.

Vita Benedicti XIV. in *Guarnacci* hist. Pontif. T. II. p. 487 seqq. *Rambach's* Gesch. d. Päpste nach der

Reformat. Th. II. p. 405 seqq. *Schroeckh's* K.-Gesch. seit d. Reform. Th. VI. p. 428—64.
Benedicti Opp. ed. E. de Azevedo. Rom. 1747—51. T. I—XII. 4. Edit. Venet. T. I—XV. f.
A. E. Klausing hist. controversiae recent. inter Pontificem Rom. et Rempubl. Genuensem. 1765. 4.
Le Bret Staatsgesch. der Republ. Venedig. Th. III. p. 793 seqq.
Caraccioli la vie du Pape Clement XIV. Ganganelli. Par. 1775. 12. (Vers. germ. 1776. 8.) Leben des P. Clemens XIV. Th. I—III. 1774—75. 8.
Carraccioli Lettres interessantes du Pape Clemens XIV. traduites de l'Italien et du Latin. Par. 1775—77. T. I—IV. 12. (Vers. germ. cum additam. 1777—81. Th. I—VI. 8.)
Visconti Museum Pio-Clementinum.

§. 224.

Ecclesia catholica in *Germania* controversiis et motibus, quae Galliam aliaque regna turbarunt, non commota, luctationem cum Protestantibus continuavit eoque nomine Curiae Romanae placuit. In Palatinatu, Bavaria, Austria et alibi saepius nimis severe et contra leges imperii actum: id quod prae ceteris in persecutione Salisburgensi (inde ab a. 1729) manifestum. Quod studiis artibusque Jesuitarum plures principes personaeque nobiliores ad fidem catholicam convertebantur, invidiam atque odium auxit, nec verum attulit commodum. Nil autem tantam excitavit admirationem, quam liber a suffragano Trevirano *Joh. Nicol. de Hontheim* sub nomine *Justini Febronii* a. 1763 in publicum emissus, in quo libertas et jura ecclesiae catholicae contra usurpatam Romani Pontificis auctoritatem iisdem fere, sed melioribus ad-

huc argumentis, quibus defensores ecclesiae Gallicanae olim usi sunt, vindicantur. Hunc librum Romanensibus maxime invisum frustra supprimere conati sunt; sed potius in universa Germania, adeoque in Italia atque Hispania, ab Episcopis et Theologis mirifico plausu exceptus, nova juris canonici principia longe lateque propagavit.

Justini Febronii, JCti, de statu ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis et ad reuniendos dissidentes in religione chr. compositus. 1763. 4. Ed. 2. 1763. Ed. 3. multo auctior. 1770. 4. T. II. ulteriores graves vindicias cont. T. II. P. II. T. III. P. I. II. 1770—74. 4. (Febronius abbreviatus et emendatus. 1777. 4.) Verss. Germ. Gall. et Ital.

Justini Febronii Comment. in suam Retractationem Pio VI. a. 1778 submissam. 1781. 4.

Briefwechsel zwischen dem Kurfürsten Clemens Wencesl. von Trier u. dem Weihbischof N. v. Hontheim über das Buch J. Febronius. 1813. 8.

Fr. A. Zaccaria Anti-Febronius. 1767. T. I. II. 4. Ejusdem Anti-Febronius vindicatus. 1771—72. T. I—IV. 4.

PERIODUS V.

Ab a. 1773 usque ad nostros dies.

---

§. 225.

Jesuitarum arrogantia perpetuaeque machinationes odium commune reliquorum Monachorum, inprimis Dominicanorum, Benedictinorum et Franciscanorum, nec non Regum ac Principum catho-

licorum contra ipsos ita excitaverant, ut de eorum abolitione et suppressione serius cogitaretur. Primum id factum in *Lusitania*, auctore *Pombalio* a. 1759; deinde a. 1764 in *Gallia*; neque Clementis XIII. intercessio et patrocinium quidquam effecit. Ex Hispania, Neapoli, Parma et Melite a. 1767 et 1768 expulsi et in exsilium missi territorium Papale inundarunt. Tandem Clemens XIV., quod ante electionem jam promiserat, d. XXI. Jul. a. 1773 Bulla sub titulo: *Dominus ac redemptor noster* totum hunc ordinem in universa ecclesia in perpetuum supprimendum edixit. Vigore itaque hujus edicti Jesuitae in Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Belgio aliisque provinciis, statum, officia et bona amiserunt. In *Silesia*, Friderico II. annuente, per plures annos, in nonnullis vero partibus *Russiae* semper, licet exiguo numero, durarunt. In Italia et Bavaria clandestinas habuerunt sodalitates, sub titulis *Redemptoristarum*, *Marietistarum*, *Vincentinorum*, *Paccaranistarum*, vel *Patrum fidei*, latitantes.

C. G. v. Murr's Geschichte der Jesuiten in Portugal unter der Staatsverwaltung des Marquis von Pombal. 1787—88. Th. I. II. 8.

P. Ibagnez Regno Jesuitico del Paraguay. 1770. Vers. germ. 1774. 8.

Acta histor. eccles. nostri temporis. B. I. p. 145 seqq. p. 403 seqq.

P. Ph. Wolf's Gesch. der Jesuiten. B. III. p. 450 seqq. B. IV. p. 11 seqq.

§. 226.

Notum est Episcopi Pistojensis effatum: „Ista (Jesuitarum) societas nunquam fuisset instituenda;

semel instituta, non dissolvenda; dissoluta, nunquam restituenda." At restituta post quadraginta annos per Bullam d. XIV. Aug. a. 1814 a Pio VII. sub titulo: *Sollicitudo omnium ecclesiarum* emissam. Quum autem bona in fiscum redacta non simul restitui possent, lentissime quidem, sed revera et tanquam semina futurae messis Patres societatis Jesu in Italia, Hispania, Gallia, Helvetia atque Hungaria reviviscere, ibique plura resurrectionis documenta edere coeperunt. Fautor eorum eximius P. Leo XII. a. 1824 Collegium Romanum illis concessit. In *Germania*, praeter singulos fautores, nec restitutionem, nec auctoritatem, nec potentiam habuerunt; ex *Russia* et *Polonia* autem a. 1820 expulsi. Quod vero in ipsam *Angliam* irrepserunt ibique Collegium satis amplum obtinuerunt, inter res mirabiliores referendum.

P. Ph. Wolf über die Wiederherstellung der Jesuiten. 1799. 8.

Lor. Westenrieder über die Wiederherstellung des Jesuiter-Ordens. 1818. 8.

J. S. Vater's Anbau der neuesten Kirchengesch. B. II. p. 39 seqq.

J. Schuderoff's n. Jahrb. für Rel., Kirchen- u. Schulwesen. I. B. 3. H. p. 535 seqq.

§. 227.

Deficiens Jesuitarum auxilium et calamitates temporis commotissimi nemo gravius expertus est, quam P. *Pius VI.* (e familia *Braschiana*) a. 1775—1798 Pontificatum minime faustum gerens. In Germania principia Febroniana (§. 224.) altas egerant radices. Imperator *Josephus II.* a. 1781—1782 variis edictis atque institutis jura ac privile-

gia sedis Romanae violavit, quae Pontifex rescriptis et itinere Vindobonensi imprudenter suscepto frustra recuperare studuit. Idem Imperator adjuvit quatuor Metropolitanos Germaniae, quum a. 1785 *Punctatione Amisiana* jura metropolitana et episcopalia contra jurisdictionem *Nunciorum Romanorum* mascule defenderent. Eodem tempore (a. 1786) *Synodus Pistojensis*, auctore *Riccio*, Jansenismo favens et propositionibus Cleri Gallicani adhaerens, Pontificem magnopere adflixit. Huic autem parum profuit, quod foedus Episcoporum in Italia et Germania variis artibus remediisque dissolvit; nam paulo post procella revolutionis politicae correptus, senex infelix et meliore sorte dignus, omnem suam ditionem adeoque libertatem et vitam in exsilio amisit.

(*Bourgoing*) Pius VI. und sein Pontificat; aus dem Franz. von *v. Meyer*. 1800. Th. I. II. 8.

C. Brancandor's Leidensgeschichte Pius VI. — von *Plac. Muth*. 1800. 8.

P. Ph. Wolf's Gesch. der röm.-kath. Kirche unter der Regierung Pius VI. 1793—98. Th. I—VI. 8.

— — — Vorschlag zu einer Reformation d. kathol. Kirche. 1800. 8.

Resultat des Emser Congresses. 1787. 8.

(*Chr. Fr. Weidenfels*) gründl. Entwickelung des Dispensat.- u. Nunciatur-Streits; zur Rechtfertigung des Versuchs der drey Erzbischöfe wider die Anmassungen des Röm. Hofes. 1788. 8.

D. Pii P. VI. Responsio ad Metropolitanos Mogunt. Trevir. Colon. et Salisburg. super Nunciaturis. 1789. 4.

Relation du Synode tenu à Pistoje en Toscane le 18. Sept. 1786 et jours suivans, avec la Lettre Pastorale de Convocation. 1786. 4.

Memoires dè *Scipion Ricci*, évêque de Pistoje; par *le Potter*. Par. 1826. T. I—IV. 8. Vers. germ. 1826. Th. I—IV. 8.

§. 228.

Sede per biennium vacante a. **1800** successorem habuit *Pium VII.* (ante electionem, in *conclavi Venetiana* habitam, *Barnabas Chiaramonti*), qui cum antecessore hoc habuit commune, quod in rebus adversis fortiorem majoremque se gessit, quam in rebus secundis; hoc tamen discrimine, quod Pius VI. in fine, Pius VII. autem initio sui pontificatus potiorem habuit laudem atque admirationem. Feliciori successu Concordatis a. **1801** et **1804** cum Napoleone, quem a. **1804** Parisiis Imperatorem coronavit, res adflictas Pontificatus restituerat. Sed insatiabili possidendi et regnandi cupiditate Imperatoris, qui Carolum M. redivivum repraesentare temere sibi arrogavit, a. **1808** potiori parte, annoque sequenti toto suo territorio privatus et in captivitatem abductus Pontifex depraedatori injusto atque ingrato intrepidum animum simulque Anathema opposuit. Post cladem atque expulsionem tyranni victricibus Austriacorum et Anglorum armis a. **1814** in integrum restitutus, ab illo inde tempore usque ad a. **1823** in pace regnavit. *Leonem XII.* (antea *Herculem della Genga*) habuit successorem usque ad a. **1829**, quem nuper *Gregorius XVI.* (antea *Franc. Xaver. Castiglioni*) subsequutus est.

Storia di Pontificatò di Pio VII. Venet. 1815. T. I. II. Vita Pii VII. auctore *Simone* (gallice a. 1823), *Coheno* (gallice 1823. 8.) et *Guadeto* (gallice 1824. 8.).

Jaeger's Lebensbeschr. Pius VII. mit Urkunden. 1824. 8.
Reflexions sur la conduite de Pie VII. depuis son retour à Rome en 1814.
Barthol. Pacca hist. Denkwürdigkeiten Pius VII. Aus dem Ital. übers. 1831. Th. I—III. 8.
— — hist. Denkw. des Cardin. Pacca über s. Aufenthalt in Deutschl. von 1786—94 von ihm selbst geschrieben. Aus d. Ital. 1832. 8.
Leonis XII. Litterae apostol. et Epist. encyclica. 1824.
Lebensbeschreibung des h. Vaters Leo XII. 1829. 12.

§. 229.

Pius VII. ejusque successores, praeter Ordinem Jesuitarum, omnia restituerunt, quae erant restituenda. Magnum sedi Romanae commodum attulerunt *Concordata* cum Gallia, Bavaria, Borussia, Hannovera, Belgio, America aliisque regnis, quibus saltem aliquam partem pristinae potestatis conservarunt. Sed statum pristinum et genium praeteritorum saeculorum revocare non potuerunt, et in ipsa ecclesia catholica non desunt elementa, quae hierarchicae potestati adversentur [1]). Nova revolutio in Gallia (a. 1830) et status rerum turbatissimus, ut nunc est, in Belgio, Hispania et Lusitania, novam in rebus ecclesiasticis excitavit perturbationem, quae multo majoris est ponderis, quam nova in Gallia exorta *St. Simonianorum* s. *St. Simonistarum* Secta [2]), cujus sors sine dubio eadem erit, quae Theophilanthroporum aliarumque sodalitatum antea fuit. In *Germania* autem semina Febroniana adhuc fructus ferunt; et quae nuper de emendando cultu et clero, de abrogando coelibatu, nec non de absolutione et matrimonio, publice scripta et transacta sunt, tan-

tum certe probant, *reformationem ecclesiae catholicae, hominibus et conditionibus hujus aevi accommodatam*, in multorum esse votis, desideriis, et postulatis [3]).

1) Concordatum Pii VII. cum *Gallia* a. 1801. 1803 et 1818. Cum *Bavaria* a. 1817 (Freymüthige Briefe über das Concordat zwischen dem Bayerschen und Römischen Hofe. 1819. 8.). Cum *Borussia* a. 1821. Cum *Hannovera* 1825. Concord. Leonis XII. cum *Belgio* a. 1827. Cum *Helvetia* (de novo Episcopatu Basil.) 1827. Cum *America* a. 1832.

Languinai's, des Grafen, Abhandl. über die Concordate; cf. Allg. Kirchen-Zeit. 1828. N. 158—164.

Die neueste Grundlage der deutsch-katholischen Kirche in Actenstücken u. ächten Notizen vom Emser Congress, dem Frankfurter Verein u. der Preussischen Uebereinkunft. 1821. 8.

E. Münch vollst. Sammlung aller ältern u. neuern Concordate etc. 1830—31. Th. I. II.

2) In causa *San-Simonis* (*St. Simon*), Comitis Franco-Gallici (nati a. 1760, denati 1825), multi scripti sunt libri, inter quos, omissis, quos ipse auctor scripsit, laudamus: *Doctrine de Saint-Simon* etc. Par. 1831. 8. et *Religion Saint-Simonienne*; association universelle, ou organisation definitive de l'humanité, pour l'amelioration progressive sous le rapport moral, intellectuel et physique etc. Par. 1831. 8. Non solum in Gallia, sed etiam in Germania multi de illo et contra illum scripserunt, ut *Buchholz*, *Carové*, *Bretschneider*, *Hahn*, *Kapff*, *Schiebler*, aliique.

3) Inter multos *de reformanda ecclesia catholica* in Germania nuperrime scriptos libros prae ceteris nominandos putamus: *Fr. W. Carové*: Was heisst römisch-katholische Kirche? 1831. Ejusdem: Die letzten Dinge des römischen Katholicismus in Deutschland. 1832. 8. *C. Antiromanus*: Zur Emancipation der kathol. Kirche von Rom. 1831. 8. *F. L. Mery*:

Sind Reformen in der katholischen Kirche nothwendig? u. s. w. 2. Ausg. 1833. 8.

Scripta *A. Theineri* (de eccl. cathol. in Silesia, et de coelibatu), *Alex. Mülleri* (in libro menstruo: der canonische Wächter) aliorumque eodem tendunt.

LOCUS V.

Historia ecclesiae Graecae et Orientalis.

Dav. Chytraei de statu Ecclesiarum hoc tempore in Graecia etc. 1582. 8.

Mart. Crusii Turcograeciae libri VIII. 1584. f.

Leonis Allatii de ecclesiae occident. et orient. perpetua consensione. 1648. 4.

— — Graecia orthodoxa. Vol. I. II. 1652—59. 4.

L. Maimbourg histoire du Schisme des Grecs. Vol. I. II. 1682. 12.

Thom. Smith de Graecae eccl. hodierno statu. Ed. 2. 1678. 8.

Chr. Angeli de statu hodiernorum Graecorum. 1679. 4.

Alex. Helladii status praesens eccl. Graecae. 1714. 8.

J. H. Stuss observationes selectae de ecclesiae Graecae, sub imperio Turcico, statu hodierno. 1733. 4.

J. M. Heineccii Abbildung der alten u. neuen Griech. Kirche, nach ihrer Historie, Glaubenslehren u. Kirchengebr. Th. I—III. 1711. 4.

Alex. de Stourdza Considerations sur la doctrine et l'esprit de l'eglise orthodoxe. 1816. 8.

H. J. Schmitt die morgenl. Griech. Russische Kirche u. s. w. 1826. 8.

---

§. 230.

Vox *ecclesia orientalis* opponitur *occidentali; Graeca* autem *Latinae;* et *orthodoxa* opponi solet *catholicae*, sed eo sensu, quo ecclesia catholica *Romanam* significat. Nam et Orientales suae

ecclesiae, eodem fere modo, quo Protestantes, praedicatum *ἐκκλησία καθολική* vindicant, tituloque *ὀρθόδοξος* ab illo tempore, ubi separati a Latinis, utuntur. Fata hujus ecclesiae inde a saeculo IX. a fatis ecclesiae occidentalis valde sunt diversa, ideoque in ejus historia aliae sunt Epochae constituendae, quae tamen non impediunt, quo minus utriusque ecclesiae memorabilia et statum *συγχρονιστικῶς* comparemus.

De praedicato et titulo *ὀρθόδοξος ἐκκλησία* disputavimus in libello: De nonnullis Ecclesiae Graecae, quae nuper jactatae sunt, virtutibus. P. I. 1821. 4. p. 2 seqq.

§. 231.

Tot autem calamitates experta est ecclesia orientalis, ut ejus conservatio et perduratio ad hunc usque diem instar miraculi sit habenda. Fata autem adversa, brevi summa comprehendenda, haec fere sunt: I. Islamismi rapidissimi progressus, quibus tot fideles integrasque amisit provincias. II. Controversia iconoclastica a Graecis illiberaliori sensu inchoata, et successu temporis crassissima superstitione finita. III. Schisma illud magnum, cujus origo jam in concertatione de Patriarchatu quaerenda, quod, Photio et Nicolao I. auctoribus, inde ab a. 858 et auctius ab a. 1053 continuatum, neque reconciliatione Synodi Lugdunensis a. 1274, et Florentinae a. 1439 sublatum, ad praesens tempus duravit. IV. Expeditiones cruciatae, quibus auctum dissidium (inprimis a. 1204—1261) et schisma inter ipsos Orientales ortum. V. Interitus Imperii Orientalis et expu-

gnatio urbis Constantinopolitanae a. 1453, ex quo Patriarchae et universa fere ecclesia graeca sub jugo Ottomannorum gemunt.

Cf. supra §. 88. 99. seqq. Consulendi sunt Scriptores historiae Byzantinae, et inter hos prae ceteris *Nicetas Choniates* de rebus gestis Impp. Constantinopol., *Joh. Cantacuzeni* Histor. LL. IV. *Niceph. Gregorae* hist. Byzant. LL. X. XI seqq. *Ducae* histor. Byzant. c. XII seqq. *Ge. Phranzae* Chronicon. lib. III. al.

§. 232.

Constantinopoli expugnata multi Graeci in Italia, Dalmatia, Hungaria, Transylvania, Gallicia et Lithuania, a Legatis Romanis invitati, et sub conditione *liturgiam graecam* retinendi, ad ritum Latinorum transierunt. Et hi dicti sunt *Graeci uniti* a Latinis; a Graecis autem *Λατινόφρονες* vocantur, quorum jam plures saec. XI—XIV extiterant. Reliqui omnes sub Patriarchatu Constantinopolitano, quem non solum duodecim Exarchi et Metropolitani Graeci, cum Archiepiscopis atque Episcopis his subjectis, sed etiam Patriarchae Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani caput totius ecclesiae orthodoxae agnoscunt, manserunt. Primus Patriarcha Constant., sub auspiciis Imperatoris Muhammedis II. a Metropolitanis electus, erat *Gennadius* (antea *Georgius Scholarius* dictus), vir ingenio, eruditione et probitate insignis, qui, quum victoris gratiam et favorem adeptus esset, multum contulit, ut ecclesiam ab interitu servaret, et ut Graeci paulo mitioribus conditionibus apud Musulmannos (Mosleminos) uterentur.

Phil. Cyprii Chronicon Eccles. Graecae. 1687. 8. p. 335 seqq.
Gennadii libellus de quibusdam fidei nostrae capitibus, de quibus Dissertatio habetur cum Amurate Machometa. Ejusd. Confessio dicta de recta et sincera fide Christianorum ad Agarenos. Gr. et lat. Ed. *Christ. Daumio.* 1677. 8.
Mart. Crusii Turcograecia. Lib. I. p. 8. 53 seqq. Lib. II. p. 109 seqq.
Euseb. Renaudot Dissert. de Gennadio et ejus scriptis. Cf. Ejusd. Praefat. ad Gennadii Homil. 1709. 4. p. 37 seqq.
Leonis Allatii de Georgiis in *Fabricii* Bibl. Gr. T. X. p. 764 seqq.

§. 233.

Consilium unionis cum Evangelicis, primum a *Ph. Melanchthone* agitatum et a Theologis Tubingensibus (*Jac. Andreae*, *Mart. Crusio*, *Luc. Osiandro* aliisque) a. 1574 seqq. Patriarchae Const. *Jeremiae* propositum, successu caruit. Nam etsi hic Protestantium causam, qua se ab ecclesia Romana separassent, laudavit, eorum tamen dogmata tali modo improbavit, ut consensio cum Graecorum doctrina fieri non posset. Inter ejus successores *Cyrillus Lucaris*, reconciliationis Graecorum cum Romanis adversarius, cum Evangelicis unionem quaerens, in Confessione fidei a. 1629 edita doctrinam Reformatorum dogmatibus consentaneam exposuit; sed paulo post, machinationibus Cleri sui a Jesuitis corrupti, a. 1638 Patriarchatum simulque vitam amisit. Ab illo tempore omne unionis negotium cessavit; et paulo post *Nectarius*, Patriarcha Hierosolymitanus, nullam conjunctionem fieri posse, declaravit. Graeci approbarunt *Me-*

***trophanis Critopuli*, Patriarchae Alexandrini, Confessionem fidei a. 1625 scriptam; sed symbolicam auctoritatem solummodo nacta est *Petri Mogilae* doctrina orthodoxa Graecorum, quae a. 1643, 1662 et 1672 a Patriarchis et Synodis Constantinopolitanis et Hierosolymitanis vera doctrinae norma Graecorum est declarata.**

Ph. Melanchthonis Epistola ad Joasaphum. App. ad Ph. Cyprii Chronic. eccl. gr. c. 2.

Acta et scripta Theologorum Wirtembergensium et Patriarchae Constant. D. Hieremiae, quae utrique ab a. 1576 usque ad a. 1581 de Augustana Confessione inter se miserunt. Gr. et lat. Viteb. 1584. f.

Eman. a Schelstrate Acta eccles. Orientalis contra Lutheri haeresin. 1739. f.

Cyrilli Lucaris Confessio chr. fidei. Gr. et lat. 1629. 1633. 1645. Cf. Corpus et Syntagma Conf. fid. 1654. P. III. p. 56 seqq.

Thom. Smith narratio de vita, studiis, gestis et martyrio Cyrilli Lucaris. V. Ejusd. Miscell. 1686. 8. p. 49—130.

Aymon Lettres anecdotes de Cyrille Lucaris. 1718. 8. Dissertat. prélim. p. 8 seqq.

Chrysocoli (Logothetae Magnae Ecclesiae) narratio hist. turbarum, quas Constantinopoli moverunt Jesuitae adversus Cyrillum Patriarcham a. D. 1627 et 1629. Cf. *Aymon* Lettres anecdot. etc. p. 201 seqq.

Metrophanis Critopuli Ὁμολογια της ἀνατολικης ἐκκλησιας της καθολικης καὶ ἀποστολικης συγγραφεισα ἐν ἐπιτομῃ. Gr. et lat. ed. *Joh. Hornejo*. Helmst. 1661. 4.

Petri Mogilae Ὀρθοδοξος ὁμολογια της καθολικης και ἀποστολικης ἐκκλησιας της ἀνατολικης. Gr. et lat. cum Praefat. *Nectarii*, Patr. Amstelod. 1662. Gr. et lat. ed. *Laur. Normanni*. Lips. 1695. 8. Gr. et german. ed. *C. Th. Hofmanni*. Vratislav. 1751. 8.

§. 234.

Ex causis politicis et consentiente ipso Patriarcha Constantinopolitano Jeremia II. in *Russia*, regnante Fedore, Czaro, a. 1589 *quintus Patriarchatus* (Mosquensis) institutus, et a. 1593 a reliquis Patriarchis orientalibus confirmatus; simulque quatuor Archiepiscopi titulum dignitatemque Metropolitanorum assumserunt. Inter Patriarchas Russiae ab a. 1652 et 1660 a confirmatione Constantinopolitana exemtos et eximia auctoritate gaudentes nullus tantam habuit famam, quantam *Nicon*, qui, quum Liturgiam paulo audentius reformaret, pluribus displicuit et *Raskolnikorum Schisma* excitavit. Unio cum ecclesia catholica variis temporibus atque occasionibus a Romanensibus, inprimis ab *Antonio Possevino* (1581, 1603), a *Doctoribus Sorbonnae* (1717), et a *Grubero* Jesuita (1800), cum ardore tentata nullum habuit effectum. Sed ab a. 1702 omnibus *alienigenis* liberum religionis exercitium, *Protestantibus* autem jura quaedam praecipua et privilegia sunt concessa.

Jeremiae II. Patr. Constant. acta in Synodo Mosquensi 1589.

Le Quien Oriens christ. T. I. p. 155 seqq. p. 1192 seqq.

Chr. Schmidt's-Phiseldeck, Einleit. in die Russische Gesch. 1774. Th. II. Abth. I. p. 53 seqq.

Ph. Strahl's Beytr. zur russischen Kirchengesch. Th. I. 1827. p. 220—221.

(*Bacmeister's*) Beytr. zur Lebensbeschr. des Patriarchen Nikon. 1788. 8.

Ant. Possevini Moscovia, seu de rebus Moscoviticis etc. 1586. Ed. Colon. 1595. f.

J. Fr. Buddeus Ecclesia Romana cum Ruthena irreconciliabilis. 1718. 4.

J. Chr. Grote's Bemerkungen über die Religionsfreyheit der Ausländer im russ. Reiche. 1797—98. Th. I—III. 8.

— — — Beytr. zur Gesch. d. ev. luther. Kirche in Russland. 1772. 8.

A. F. Büsching's Gesch. d. ev. luther. Gemeinden im Russischen R. 1766—67. Th. I. II. 8.

§. 235.

Sed Patriarchatus ab Imperatore *Petro I.* sublatus in ejusque locum a. 1721 *Synodus sancta et dirigens*, s. Collegium supremum ad regendam ecclesiam, successit. In omni hoc negotio Imperator, immortaliter de regno suo meritus, usus est consiliis atque auxilio *Theophanis Procopowicz*, S. Synodi, Imperatoris vice, praesidis, et Archiepiscopi Nowogrodiensis, viri docti et probi, cujus scripta dogmatica ei inter omnes Theologos hujus ecclesiae (quorum plures habet cum laude commemorandos, ut *Platonem*, *Theophylactum* aliosque) principem assignant locum. Nova haec regiminis ecclesiastici forma, ex parte ad exemplar Synodorum in antiquo Imperio Orientali, quae *Σύνοδοι ἐνδημοῦσαι* sunt dictae, instaurata, ex parte cum Synodis imperialibus Caroli M. (quae tamen non *perpetuae* fuerunt), ex parte cum Collegio Cardinalium, ex parte denique cum ecclesia Anglicana est comparanda.

Nic. Bergii de statu eccl. et relig. Moscoviticae. Ed. 3. 1722. 4.

J. Fr. Reuss de ecclesia Ruthenica. 1762. 4. Cf. Ejusd. Opusc. theol. T. I. p. 317 seqq.

Haigold's Beylagen zum unveränderten Russland. Th. I.
Statutum canonicum s. ecclesiasticum Petri Magni, vulgo Regulamentum in sancta orthodoxa Rossorum ecclesia praescriptum. Ex lingua Rossica in lat. conv. Petrop. 1785. f. (Germanice sub titulo: Geistliches Reglement. Gedan. 1725. 4.)
Hupel's kirchl. Statistik von Russland. 1786. 8.
Ol. Hermelin: Vita Theophanis Procopowicz; cf. *Scheerer's* Nordische Nebenstunden. St. I.
Theoph. Procopowicz christianae orthodoxae theologiae. P. I—VII. 1776.
— — Disquisit. hist. bigae quaest. I. Quibus de causis et quo sensu Imperatores Romani, tam Ethnici, quam Christiani appellati fuerint Pontifices s. Archierei gentilis religionis. II. Num christ. relig. Imperantes dici possint Episcopi et Archierei, et quo sensu. Petrop. 1721.
H. L. Ch. Bacmeister's Russische Bibliothek zur Kenntniss des gegenw. Zustandes d. Lit. in Russl. 1772—89. B. I—XI. 8.
Historisches Wörterbuch aller in Russland gewesenen Schriftsteller vom geistl. Stande der griech.-russischen Kirche. 1818. Th. I. II. 8.
Ph. Strahl's gelehrtes Russland. Th. I. 1831. 8.

§. 236.

De tribus reliquis Patriarchatibus Orientis non multum et vix aliud dicendum, quam eorum potestatem magis esse nominalem quam realem, et eorum administratores, sedibus suis et cathedris expulsos, nil fere esse quam ἐπισκόπους σχολάζοντας, Praesulesque in partibus infidelium. *Antiochenus* Patriarcha admodum paucos *Melchitas* (quo nomine saepius non solum Syri orthodoxi, sed omnes quoque Orientales auctoritatem VII Conciliorum oecumenicorum agnoscentes comprehenduntur) sub sua ditione habet, quum neque *Jaco-*

bitae in Syria, neque *Syri Nestoriani* s. Chaldaei (cum ecclesia Romana conjuncti), neque *Armenii* (tam orthodoxi, quam schismatici), quorum ecclesia a Patriarcha primario, quem *Catholicum* dicunt, administratur, ejus auctoritatem agnoscant. *Alexandrinus P.* jam dudum Constantinopoli sedem habet, *Coptarum* autem et *Habessinorum* Patriarcha (a. 1594 unionem cum Romanensibus parans, sed non efficiens) Alexandriae vel Cahirae. Idem fere valet de *Hierosolymitano*, cui nunc pauca Monasteria in Palaestina et in monte Sinai obediunt, cujusque potestas vel non ad dirimendas concertationes perpetuas Graecorum, Armeniorum, Coptarum et Latinorum *de sepulcro sancto* sufficit.

Euseb. Renaudot Collect. Liturg. Orient. 1716. 4. T. I. p. 374 seqq.

Le Quien Oriens christianus. T. I—III.

Ans. Banduri Imper. Orient. s. Antiquit. Constant. T. II.

Staeudlin's kirchl. Geogr. u. Statist. Th. II. p. 594 seqq.

F. C. Belfour the travels of Macarius, Patriarch of Antioch etc. translated from Arabic. P. I. London 1829. 4.

Kurze hist. Darstellung des gegenw. Zustandes des Armen. Volkes. 1831. 8.

§. 237.

Sed Constantinopolitanorum Patriarcharum conditio recentissimis temporibus longe deterior facta est. Quamvis enim illi dignitatis externae splen-

dore niteant et jurisdictione ampliore, adeo in causis civilibus et criminalibus Graecorum, gaudeant, tamen ab arbitrio Portae Ottomannicae ita pendent, ut eorum sors, vel maxime rebus dubiis et periculosis, valde sit precaria. Testis Patriarcha *Gregorius*, qui propter suspicionem, quasi insurrectionis Hellenisticae a. 1821 auctor esset adjutorque, immani supplicio adfectus est. Alius quidem cum splendore in ejus locum electus; sed impedire non potuit, quin tota ecclesia *novi regni Graecanici* se jurisdictioni patriarchali subtraxerit. Praeterea cum *Patriarcha Armeniorum* (cum ecclesia Romana non conjunctorum), qui Constantinopoli magnis privilegiis gaudet, crebriores oriuntur conflictus.

De la Croix l'état present des nations et des églises Grecque et Armenienne. p. 112 seqq.

J. Dallaway Constantinople ancient and modern, etc. 1797. 8. p. 101 seqq.

Graeci ab Imperio Ottomannico emancipati, regeque Ottone donati, in Synodo d. 8. Aug. 1833 Naupliae habita se jurisdictioni Patriarchae Constant. subtraxerunt et *Synodum generalem et permanentem*, ad exemplar sanctae Synodi in Russia, constituerunt. Cf. *Rheinwald's* allg. Repertor. für die theol. Lit. u. kirchl. Statistik. 1833. N. X. p. 157—158.

§. 238.

Monachismus omni tempore Orientis ecclesiae fuit noxius. Quot mala olim Monachorum ignorantia atque arrogantia saec. V—IX. ecclesiae attulerit, jam supra in historia Nestorii, Eu-

tychis, Monophysitarum et Monotheletarum commemoratum. Nec meliori frugi postea illos esse factos, historia Byzantinorum scriptorum satis docet, cujus nulla fere pagina est, quae non aliquid stulti, scandali atque horridi a Monachis patrati contineat. Monachi quidem juxta regulam *S. Basilii* viventes, quorum cohors ad sex millia assurgens in monte *Athos* in sexaginta quinque Monasteriis habitat, paulo melioris sunt notae, et litteris artibusque aliquid commodi attulerunt; sed tamen cum Benedictinorum occidentalium virtute litteraria non possunt comparari, et pars eorum, qui *Hesychiastae*, vel *'Ομφαλόψυχοι* audiunt, magnas olim, ut ex Cantacuzeno, Gregora aliisque scriptoribus Byzantinis discimus, excitavit turbas. Religiosorum inter *Armenios* tres sunt classes, quarum una, quam *Vartabetes* vocant, litteris etiam profuit. Monachi in Russia, *Kalogeri* dicti, post reformationem, quam imperante Petro I. sub ejusque successoribus sunt experti, paulo cultiores et Graecis meliores evaserunt; nihilominus ad praesens usque tempus impedimento fuerunt, quo minus hujus ecclesiae profectus essent celeriores et laetiores.

Joseph. Georgirene's Beschreibung des Bergs Athos. cf. *Paulus* Sammlung merkw. Reisen in den Orient. Th. V. p. 312 seqq.

Giov. de Serpos Compendio storico concern. la religione della nazione Armena. T. III. p. 477 seqq.

LOCUS VI.

Sectarum insigniorum elenchus.

J. K. Müller's Geschichte u. Lehrbegriff der protest. Religionspartheyen u. Secten; nebst einem kurzen Abriss der Gesch. des Abendmahls. 1789. 8.

Gregoire histoire des Sectes religieuses, qui sont nées, se sont modifiées, se sont éteintes dans les differentes contrées du globe depuis le commencement du siécle dernier jusqu' à l'époque actuelle. Paris 1810. T. I. II. Edit. nouvelle augmentée. Par. 1828—29. T. I—V. 8.

§. 239.

Historia docet, omni tempore in ecclesia chr. fuisse Sectas, s. coetus Christianorum, qui vel in doctrina, vel in ecclesiae et regiminis ecclesiastici forma, vel in ritibus cum ecclesia catholica non consentientes, a communione ecclesiastica recederent, et in societates separatas coirent. Non mirum igitur, tempore reformationis antiquiores perdurasse, multasque novas esse exortas. Neque id Reformatoribus vitio vertendum, quum certum sit, eos nullo modo unitatem ecclesiae violare et schismata promovere voluisse. Nam Confessiones tam Lutheranorum quam Reformatorum clarissime testantur perfectissimum cum ecclesia catholica in condemnatione Haereticorum et Schismaticorum consensum. Si itaque ecclesia catholica, tam occidentalis, quam orientalis, impedire non potuit, quo minus olim Schismata erumperent, et, recon-

ciliatione frustra tentata, perdurarent: quo jure Protestantes accusandi, quod in eorum gremio vel antiquiores Sectae (quales Waldenses et Hussitae) latibulum et refugium invenerint, vel novae habuerint originem?

Exponendum de vocibus αἱρετικοί, σχισματικοί, *Sectarii*, *Separatistae* etc.

§. 240.

Verum quidem est, in ecclesia catholica inde a fine saec. XVI. secessus esse rariores: eos tamen non sine exemplo esse, *Jansenistae* instar omnium probant, ut novas societates in Gallia revolutionata exortas, novissimumque in Germania Curiae Romanae imminens periculum taceamus. Sed nec *Lutherani* multas numerant Sectas, quum praeter Unitatem Fratrum et Swedenborgianos, exiguum admodum coetum constituentes, vix ulla reperiatur, cui hoc nomen proprie competat. Omnes fere, quae hodie existunt, ex ecclesia Reformata, e duplici familia conflata, vel egressae, vel cum ea arctius sunt conjunctae. Quamvis autem foecundissima Sectarum facta sit mater, ex hoc tamen titulo neutiquam est infamanda, quum ex ipsis ejus Confessionibus intelligatur, hoc non ex voto aut consilio contigisse, quumque ex historia constet, quantam adhibuerit curam, ut, omni quo fieri posset modo, evitaret.

Si Romanenses *Armenios*, *Syros-Nestorianos*, *Maronitas* et *Graecos Latinizantes*, qui ecclesiae catholicae olim sunt associati, in hunc censum venire negant, suae quidem causae prospiciunt; attamen ve-

rum est, hasce familias, licet Pontificis Romani auctoritatem agnoscant, esse ecclesias particulares et separatas, quas Graeci orthodoxi jure suo *schismaticas* pronuntiant.

Quod ad Ecclesiam Reformatam attinet, testes sunt Canones Dordraceni et Formula Consensus Helvet. Cf. Confess. Helvet. I. c. XI. p. 26—27. c. XVIII. p. 65. c. XX. p. 72. Conf. Gallic. art. XIV. p. 116. Conf. Belg. a. 34. p. 193. Conf. Polon. II. a. VII. p. 268. Declar. Thorun. p. 419. al.

§. 241.

Ceterum omnis haec quaestio dogmaticum potius, polemicum et politicum, quam historicum habet momentum. Historiae enim potissimum id est, ut cum fide exponat, quae et cur facta sint, quaestionem autem, quid fieri debuisset, vel plane omittat, vel leviter tantum attingat. Jure itaque nostro utimur, dum brevi summa eas tantum Sectas, quae inde a saec. XVI. ad praesentem diem in Europa existunt et, legum et consuetudinis auctoritate, publico religionis exercitio utuntur, recensemus. Quo quidem in negotio non tam ad earum dogmata, quam potius ad fata externa erit respiciendum.

Ut a partibus Catholicorum lites et controversiae de Molinosismo s. Quietismo, de Pietismo, Bajanismo, coelibatu, cultu Sanctorum etc. non ad historiam Sectarum pertinent, ita quoque idem valet de controversiis Protestantium de Crypto-Calvinismo, Syncretismo, Mysticismo, Rationalismo, et quae his sunt similia. Sed omittendae quoque causae *Casp. a Schwenkfeld*, *Val. Weigelii*, *Jac. Boehmii*, *Es. Stiefelii*, *Gichtelii*, *Kuhlmanni*, aliorumque Mysticorum, Enthusiastarum, Fanaticorum et Separatista-

rum coryphaeorum, quorum sodalitates vel cito exspirarunt, vel in tenebris latent.

§. 242.

Anabaptistarum s. Catabaptistarum nomen omnibus quidem, qui Paedobaptismum improbarunt, impositum; sed sensu strictiori ita vocantur homines illi fanatici et seditiosi, qui, sub praetextu libertatis evangelicae, suis libidinibus indulgentes omnemque ordinem ecclesiasticum et politicum turbantes, causae Evangelicorum vario modo nocuerunt. Illi sunt Anabaptistae fanatici, quos Confessiones utriusque ecclesiae unanimo consensu damnant. Quo tempore et loco primum emerserint, nondum ad liquidum perductum; hoc tamen certum, inde ab a. 1520 in Helvetia, Suevia, Bavaria, Thuringia, Guestphalia, Frisia, Batavia, Dania et Suecia statum publicum ab ipsis vario modo ita fuisse turbatum atque adflictum, ut Principes et Magistratus, quorum auctoritatem refractario modo spernerent, de opprimendis et delendis pessimis istis hominibus serio cogitarent. Seditio rusticorum ab Anabaptistis excitata a. 1525 vi armorum suppressa, supplicio de *Thoma Münzero* aliisque antesignanis sumto, *Regnum* autem *anabaptisticum Monasteriense*, ducibus Johanne Lugdunensi, Knipperdollingio, Krechtingio aliisque ejusdem farraginis cum insania instauratum, a. 1535—1536 violenter eversum, rebellesque vel supplicio adfecti, vel in exsilium missi. Ex reliquiis sanioribus novae meliusque ordinatae societates sunt ortae, quae cum istis perversis nil fere, praeter nomen, habent commune.

H. Bullinger: der Wiedertäufer Ursprung, Fürgang, Secten, Wesen u. s. w. 1561. 4.
Zach. Theobald's Bericht, was Jammer u. Elend die alten Wiedertäufer gestiftet. 1623. 4.
Arn. Meshovii historiae anabaptisticae Libb. VII. 1617. 8.
J. H. Ottii Annales anabaptistici. 1672. 4.
B. N. Krohn's Gesch. der fanat. u. enthusiastischen Wiedertäufer in Niederdeutschland u. s. w. 1758. 8.
(*G. A. Will's*) Beytr. zur Gesch. des Anabaptismus in Deutschland. 1773. 8.
Conr. Heresbach historia Anabaptistarum Monasteriensium. 1650. 8.
H. Jochmus Gesch. der Kirchenreform. in Münster u. ihres Unterganges durch die Wiedertäufer. 1825. 8.
G. Salemann de molitionibus Anabaptistarum in Suecia. 1694. 4.

§. 243.

Tales sunt *Baptistae* in Anglia, non confundendi cum Anabaptistis, cum quibus non nisi in eo consentiunt, quod Paedobaptismum non admittunt, baptismum autem semel factum non iterant. Originem ab Albigensibus, Wiclefitis et Lollhardis derivantes, tamen non ante a. 1633 societatem separatam constituerunt. Ab illo tempore a Puritanis saepius vexati; sed inde ab a. 1689 in statu tranquillo beneque ordinato non solum perdurarunt, sed etiam, cum in Anglia tum in America septentrionali, laeta habuerunt incrementa. A. 1691 in duas divisi sunt partes, quarum una *Baptistae generales*, altera vero *Baptistae particulares* vocatur. Prior pars cum Arminianis, posterior autem cum Antiremonstrantibus conjuncta. Recentiori tempore de *Missionibus* bene meruerunt.

Th. Crosby the history of the English Baptists, from the reformation to the beginning of the reign of George I. 1638—1640. T. I—IV. 4.
R. Robinson the history of Baptism. 1740. 4.
Is. Backus the history of the English-American-Baptists. 1777—84. T. I. II. 8.
A brief narrative of the Baptist-Mission in India. 1818. 8.
Staeudlin's allg. K.-Gesch. von Grossbrit. Th. II. p. 106 seqq.

§. 244.

Mennonitae emendatior nobiliorque Anabaptistarum pars superstes, quam *Menno Simonis*, Friso, ab a. 1537, ut a fanaticis opinionibus insanoque magistratuum ac disciplinae contemtu sanaret, omnem curam operamque adhibuit. In Batavia, Belgio, Guestphalia, Borussia, Livonia aliisque regionibus multos coetus ad meliora consilia atque instituta reduxit. Post ejus mortem (a. 1561) asseclae, in varias divisi familias, diversas habuerunt constitutiones et consuetudines, et consentientes magis magisque cum Reformatis, ab illis in eo tantum recesserunt, quod Paedobaptismum repudiarunt, jusjurandum detractarunt et arma ferre nefas habuerunt: id quod ipsos saepius suspectos vel odiosos reddidit. Nihilominus ob virtutes religiosas, morales et civiles, in pluribus regnis recepti, adeoque singularibus privilegiis donati sunt.

H. Schyn historia Christianorum, qui in Belgio foederata inter Protestantes Mennonitae vocantur. 1723. 8.
— — hist. Mennonitar. plenior deductio. 1729. 8. Vers. Holland. 1743—45. T. I—III. 8.
J. Chr. Burgmann de historiae Mennonitarum fontibus et subsidiis. 1782. 4.

v. Reiswitz u. *Wadozeck's* Beytr. zur Kenntniss der Mennoniten in Europa u. Nordamerica. 1821. 8.

Abrah. Hunzinger's Religions-, Kirchen- u. Schulwesen der Mennoniten, oder Taufgesinnten — — von einem Mennoniten. 1830. 8.

§. 245.

Familia *Quakerorum* (quod in lingua Anglorum *tremulos* significat) Britanniam habet patriam; et *Georgium Foxium*, sutorem indoctum, sed probum, ab a. 1649 conditorem. Ab initio tanquam homo insanus ac perversus cum ludibrio exceptus saepiusque accusatus et castigatus, mox plausum assensumque habuit, ex quo *Robert. Barclajum*, *Ge. Keithium*, *Guil. Pennium* aliosque amicos doctiores et cultiores ad partes suas traxit. Principia atque instituta hujus Sectae, quae sibi titulum *Amicorum lucis et spiritus* vindicat, ab omni doctrina, cultu et consuetudine reliquorum Christianorum prorsus abhorrent. Omnia enim a luce interna et revelatione spirituali exspectantes improbant ministerium ecclesiasticum, sacramentorum usum omnesque ritus, jusjurandum nunquam praestant, et in moribus et consuetudinibus vitae quotidianae multa habent singularia atque abnormia. Attamen in Anglia, ubi eorum numerus magis magisque crevit, propter virtutes civiles vereque christianas, quibus nitent, ab a. 1689 legum publicarum patrocinium adepti sunt; in America autem, ubi *Guil. Pennius* (in cujus honorem provincia *Pensylvania* dicta) eos plantavit, statum florentem obtinuerunt. In Europa, inprimis in Batavia et Germania, eorum

coetus, libero religionis exercitio gaudentes, passim deprehenduntur.

Ge. Croesii historia Quackerorum. 1695. Ed. 2. 1703. 8.
Casp. Kohlhans dilucidat. necessariae in Croesii hist. Quacker. 1696.
W. Sewel histor. Quacker. Hollandice, anglice et germ. 1717. 1722. 1742. f.
W. Penn's kurze Nachr. von der Entstehung u. dem Fortg. der Gesellschaft der Freunde, die man Quäker nennet. Aus dem Engl. von *L. Seebohm.* 1792. 8.
Rob. Barclay Theologiae vere christianae Apologia. 1676. 4. Vers. angl. et germ. 1740. 8.
— — Theses theol. 1675.
— — Katechismus oder Glaubensbekenntniss etc. Angl. lat. et germ. 1679. 12.
T. Clarkson a portraiture of Quakerism etc. 1806. T. I—III. 8.
J. J. Gurney Observations on the rel. peculiarities of the society of Friends. 1824. 8.
J. C. C. Schmidt's Ursprung, Fortgang u. Verfassung der Quäkergem. in Pyrmont. 1805. 8.

§. 246.

Fratres Bohemici*, *Moravici*, *Unitas Fratrum aliisque nominibus vocantur reliquiae *Hussitarum* (inprimis *Taboritarum*) in Bohemia, Moravia aliisque terris, cum quibus se illi, qui *Waldenses* et *Piccardi* sunt dicti, conjunxerunt. Lutherus Confessionem eorum a. 1533 editam non improbavit, sed conjunctionem cum illis propter dogma de s. coena inire noluit. Crescentes postea in Borussia et Polonia, ut Consensus Sendomiriensis (§. 189.) testatur, cum Lutheranis, sed arctius diutiusque cum Reformatis conjuncti, cum

quibus in doctrina, disciplina et regimine ecclesiastico conspirabant. Ad eorum normam, initio saec. XVIII. *Nicol. Ludov. Comes de Zinzendorf* (a. 1760 mortuus), vir doctus et pius, novam societatem constituit, cujus prima membra nonnulli Fratres Bohemici et Moravici, e patria religionis causa pulsi, fuerunt, quibus deinde plures Lutherani et Reformati se adjunxerunt. *Unitatem Fratrum* Augustanae Confessioni addictam, in ritibus tamen nonnullis diversam et in *triplicem Tropum* divisam, nominavit hanc societatem, eamque incredibili ardore et felici successu in Saxonia (prima ejus sede), Silesia, Dania, Russia, Britannia et America propagavit. In Germania *Herrnhutani*, vel etiam (nomine antiquiori et generaliori) *Pietistae* vocari solent. Eorum autem Societas s. Unitas non solum religiosa atque ecclesiastica, sed simul etiam politica est, quae non ubivis eandem habet formam atque institutionem.

Joach. Camerarii de fratrum orthodoxorum ecclesiis in Bohemia, Moravia et Polonia. 1605. Ed. 2. 1625. 8.

(*J. A. Comenii*) historia persecut. eccl. Bohem. 1648. 12.

Jo. Lasitii hist. de origine et rebus gestis Fratrum Bohemorum. 1649. Ed. 2. 1660. 8.

G. W. C. Lochner Comment. qua enarrantur fata et rationes earum familiarum chr. in Polonia, quae ab ecclesia Rom. alienae fuerunt, inde ab eo tempore, quo Fratres Bohemi eo migraverunt, usque ad Consensus Sendomir. tempus etc. Cf. Acta Societ. Jablonov. nova. T. IV. Fasc. 2. 1832.

Dav. Cranz alte u. neue Brüderhistorie. 1772. 8.

— — — — — fortgesetzt von *J. K. Hegner*, 1816. Th. I—III. 8.

Spangenberg's kurzgef. hist. Nachr. von der gegenwärt. Verf. der evang. Brüder-Unität. Ed. 5. 1823. 8.
— — Leben des Gr. Zinzendorf. 1773—75. Th. I—VIII. 8.
Gr. v. Lynar's Nachr. vom Urspr., Fortg. u. Verf. der Brüder-Unität. 1781. 8.
J. E. H. Scholl's Gesch. der alten u. neuen Herrnhuter u. ihres Stifters des Gr. von Zinzendorf. Aus dem Holländ. übers. 1805. 8.
K. A. Varnhagen's Leben des Grafen von Zinzendorf. 1830. 8.
Chr. F. Schulz von dem Entstehen und der Einrichtung der ev. Brüdergem. 1822. 8.
Herrnhut's Jubelfeyer im J. 1822. beschrieben von einem Augenzeugen. 1822. 8.
Joh. Hansen: kann die Herrnhut. Gem. eine wahrhaft ev. christl. genannt werden? 1821. 8.
— — ein ernstes Wort wider die Herrnhuter. 1823. 8.
Spangenberg Idea fidei fratrum; oder kurzer Begriff der chr. Lehre in der ev. Br.-Gem. 1779. Ed. 3 1801. 8.
(*Joh. Loretz*) ratio disciplinae Unitatis Fratrum A. C. 1789. 8.

§. 247.

De *Methodistarum* origine jam supra (§. 205.) relatum. Cum Unitate Fratrum (§. 246.) per breve tempus conjuncti (unde interdum *Pietistae Anglicani* audiunt) a. 1739 se ab ea separarunt, posteaque, quamvis in duas familias divisi, quarum una, duce *Whitefieldio*, Calvinismum strictiorem s. Particularismum, altera, *Wesselio* auctore, Universalismum profitetur, mirum in modum sunt aucti, non solum in Britannia, sed etiam in America aliisque terris, ubi Missiones satis amplas habent. Recentissimo tempore in Helvetia Gallica novam Sectam

Momiorum (les Momiers), si non condiderunt, tamen omni studio adjuvarunt.

J. G. Burkhard's vollst. Gesch. der Methodisten in England. 1795. Th. I. II. 8.
Observations on the doctrine, discipline and manners of the Wesleyan Methodists. 1818. 8.
The discipline of the Methodist Episcopal Church in America. 1787. 8.
Rob. Southey the life of Wesley and the rise and progress of Methodism. 1820. T. I. II. Vers. germ. a *F. A. Krummacher*. 1828. 8.
P. Schaffhausen de Ge. Whietefieldio, duce Methodistarum primario. 1743. 4.

§. 248.

Swedenborgiani dicuntur asseclae *Imman. de Swedenborg*, viri docti probique, sed exaltati ingenii in Suecia, qui a. 1772 diem obiit supremum, cujusque scripta theosophica multos habuerunt et adhuc habent admiratores. Semet ipsos nominare praeferunt *Cives ecclesiae novae Hierosolymitanae.* In Suecia, ubi praeter hanc nullae inveniuntur Sectae, habent suam sedem propriam et primariam; sed sodalitates eorum deprehenduntur quoque in Britannia, America et India orientali. Theologia eorum est Theosophia mystica atque allegorica; in disciplina morum rigidiores; in cultu observant nonnullos ritus a cultu Lutheranorum ordinario diversos, qui tamen in Suecia, licet ibi strictissima regnet Lutheranismi observantia, tolerantur.

Eman. Swedenborg Opp. coll. Amstelod. 1763. T. I—XIII. 4. Opp. theol. Lips. 1789. 8.

F. Chr. Oetinger Swedenborg's u. Anderer irdische u. himmlische Philosophie. 1765. 8.

Swedenborg's göttliche Offenbarungen; verdeutscht von *J. F. J. Tafel.* 1823. Th. I. II. 8.

Nachrichten von der sogenannten neuen Kirche, oder dem neuen Jerusalem etc. Cf. Acten, Urkunden u. Nachr. zur neuesten Kirchengesch. II. B. 4. u. 5. St.

Swedenborg's Liturgie, nach der 4. Ausg. von 1803 übersetzt. Cf. *Henke's* Rel. Annalen. X. St. p. 373 — 423.

J. F. J. Tafel's Religions-System der neuen Kirche; aus den Quellen dargestellt. I. B. I. H. 1832. 8.

§. 249.

De *Arminianorum* s. *Remonstrantium* in Batavia origine et fatis jam supra (§. 185. et 187.) expositum. In Anglia Regem Jacobum I., doctrinae Dordracenae strenuum defensorem, habuerunt adversarium et tanquam *Latitudinarii* (qui interdum vel *Papistae doctrinales* — Doctrinal-Papists — dicti) apud Episcopales, quam maxime autem apud Puritanos, male audiebant. Nihilominus *Guil. Laud*, Archiepiscopus Cantuariensis, regnante Jacobo I. et Carolo I. efficacissimus eorum fuit protector, et ex illo tempore semper suos coetus habuerunt, qui Dissentientibus non annumerari solent. Coetus in provincia Hollandia et Frisia, qui *Rhynoburgici*, vel *Collegiantes*, vocantur, ab Arminianis quidem habent originem, sed ita cum reliquiis variarum Sectarum mixti, ut ab Arminianismo deficerent, et in suis Collegiis (unde nomen Collegiantium) cultum plane diversum exercerent.

G. W. Alberti's Briefe betr. den Zustand der Rel. u. Wissenschaften in Grossbrit. Th. III. p. 614 seqq. Th. IV. p. 989 seqq.

Walch's n. Religionsgesch. Th. VIII. p. 468 seqq. Th. IX. p. 303 seqq.

Dissertation sur les usages de ceux, qu' on appelle en Hollande *Collegiens* et *Rhinobourgeois*. Cf. Cérémonies religieuses de tous les peuples. T. IV. p. 323 seqq.

§. 250.

Antitrinitarii s. *Unitarii*, nomine collectivo omnes, qui dogma de Trinitate negant, dicuntur. Ejusmodi doctores jam in antiqua ecclesia haud parvo numero extiterant multosque habuerant asseclas. Attamen tanquam novam formam describunt libri symbolici illos, qui medio saec. XVI. primum in Italia, deinde etiam in Helvetia, Germania aliisque terris antiquos errores renovarunt eamque ob causam variis poenis exsilii, carceris adeoque supplicii sunt adfecti. Hi tamen plerumque singuli doctores fuerunt, assentientes quidem et discipulos, sed nullos coetus separatos habentes. Sed aliter se res habuit in *Polonia* et *Transylvania*, ubi a fine saec. XVI. Unitariorum societas, tanquam nova Secta instituta ad praesens tempus duravit. *Socinianorum* nomen praevaluit, quia *Faustum* et *Laelium Socinum* (*Sozzini*), doctos Italos, praecipuos habuerunt instauratores. Praeter hos autem haud paucos inter se numerant viros eruditionis atque ingenii laude praeclaros, qui sua dogmata in *Catechismo Raccoviensi* (a. 1605) exposita contra aciem Theologorum evangelicorum utriusque ecclesiae strenue defenderunt. Ex Polonia saepius pulsi ibique parvo numero latitantes, in Transylvania asylum perpetuum retinuerunt. In Batavia inter Arminianos multos nacti sunt consentientes. In

Britannia adeo invisum eorum nomen, ut a beneficio legis de tolerantia excluderentur. Nihilominus recentiori tempore majorem experti sunt favorem. Idem valet de Germania, ubi nostra aetate, quamvis nullam habeant sodalitatem, eorum dogmata antisymbolica tam multis arrident et tanquam ratio recta valent.

F. S. Bock historia Antitrinitariorum, maxime Socinianismi et Socinianorum. 1774—84. T. I. II. 8.
— — — historia Socinianismi Prussici. 1754. 4.
Stanisl. Lubienicii hist. reformat. Polon. 1633. Ed. 2. 1685. 8.
Bibliotheca Fratrum Polonicorum, quos Unitarios vocant. 1656. T. I—VIII. f.
Catechismus Raccoviensis a. 1605 Polonice; sed Latine ed. Moscorovio 1608. Ed. G. L. Oeder. 1739. 8.
J. A. Schmidt de Catechesi Raccov. 1707. 4.
Chr. Fr. Illgen Vita Laelii Socini. 1814. 8.
— — — Symbolar. ad vitam et doctrinam Lael. Socini illustr. P. I. II. 1826. 4.
Jos. Toulmin Memoirs of the life, character, sentim. and writings of Faustus Socinus. 1777. 8.
J. Fr. Buddeus de origine Socianismi in eccl. emendat. non repetenda. 1725. 4.

§. 251.

De unica in ecclesia catholica emersa, sed violenter oppressa fereque extincta *Jansenistarum* Secta, quae nunc non nisi apud Batavos coetum habet separatum, jam supra (§. 218.) diximus. Quoties novus Archiepiscopus Ultrajectensis, qui eorum caput est, eligitur, suam electionem Curiae Romanae indicat, et confirmationem institutionemque canonicam decenter expetit; sed semper frustra, ut novissimum anni praeteriti probat exem-

plum. Latent tamen etiam in Gallia, ex quo ibi suppressi sunt, in tractu Lugdunensi, Jansenistarum nonnullae reliquiae. Sed spes de resuscitatione eorum, qui *Discipuli S. Augustini* dici malunt, frustra erant conceptae. Nam tempore revolutionis et restaurationis, apud gentem semper ad extrema atque opposita proclivem, somnia quidem Theophilanthroporum et deliramenta San-Simonianorum plausum atque assensum habere, doctrina autem Jansenistarum vere catholica, sobria atque ethica, radices agere nullo modo potuit.

Causa Coddaeana. 1705. 8.
(*Paul. Hoynek van Papendrecht*) historia de rebus ecclesiae Ultrajectensis a tempore mutatae relig. in foederato Belgio. 1726. 4.
Catechisme historique et dogmatique sur les contestations, qui divisent maintenant l'eglise. 1736—68. T. I—V. 8.
Acta et Decreta Synodi Prov. Ultrajectensis celebratae d. 13. Sept. 1763. Cf. *Walch's* n. Relig.-Gesch. Th. VI. p. 23 seqq. p. 489 seqq.
Histoire abregée de l'eglise Metropol. d'Utrecht etc. 1765. 8.
v. Huth's Vers. einer K.-Gesch. des 18. Jahrh. Th. I. p. 260 seqq. Th. II. p. 244 seqq.
Gregoire les ruines de Portroyal des Champs en 1809, année seculaire de la destruction de ce Monastére. Ed. 2. 1809. 8.

§. 252.

In *Russia* praeter *Schisma Raskolnikorum* (quod supra §. 234. indicatum) extitit nullum; hoc autem longe lateque diffusum. Omnes illi, qui propter *mutationes liturgicas*, jam antea praeparatas, a *Nicone* Patriarcha autem introdu-

ctas, a communione ecclesiastica recedebant, nomine ignominioso *Raskolniki* (i. e. Schismatici) sunt dicti, se ipsos autem *Starowierzi* (i. e. Orthodoxos antiquae fidei) praedicant. Quum omnem reconciliationem cum ecclesia regnante saepius tentatam pertinaciter detrectarent, gravissima persecutione sunt adflicti. Regnante Petro I. et Catharina II. mitius tractati ab a. 1762 libero religionis exercitio gaudent. Quod autem minus prosperarunt, inde est, quod in plus quam viginti catervas diversas et inter se discrepantes divisi, communi careant vinculo, semet ipsos debilitantes. *Philipponi* et *Duchoborzi* sacerdotium et ministerium ecclesiasticum respuunt et vicissim cum Mennonitis et Quakeris comparantur.

Geschichte der Irrlehren u. des Sectenwesens in der griech. russischen Kirche. V. *Ph. Strahl's* Beytr. zur russ. Kirchengesch. 1827. Th. I. p. 250 seqq. (*Schloezer's*) Gesch. der Philipponen etc. Cf. Berlin. Monatsschr. 1799. p. 402 seqq. 1802. p. 98 seqq. *Th. E. Lenz* de Duchoborzis Comment. I. 1829. 4.

MEMORABILIA CHRONOLOGICA.

I. *Historia antiqua.*

A. Chr.

1. Jesus Christus natus, regnante Augusto et Herode.

30. Muneris Christi, post baptismum, inauguratio. Apostolorum electio. Mors Johannis Baptistae.

33. Mors Jesu Christi, resurrectio, adscensus in coelum. Ecclesia Hierosolymitana.

35. Paulus Apostolus gentium.

39. Christianorum nomen.

64. Persecutio Neronis, qua Petrus et Paulus interfecti.

70. Excidium Hierosolymorum et reipublicae judaicae interitus.

98. Trajanus. Johannes Apostolus.

117. Hadrianus. Aelia Capitolina. Gnostici.

160. Polycarpus et Anicetus. Synodi. Montanistae.

200. Clemens Alexandrinus. Origenes. Tertullianus.

249. Decius. Martyres. Confessores. Lapsi. Cyprianus.

284. Aera Diocletiana s. Epocha Martyrum. Traditores.

A. Chr.
306. Constantius. Chlorus. Constantinus Imperator.
324. Constantinus christianus.
325. Concilium Nicaenum. Oecumenicum I.
337. Mors Constantini M. Eusebius Caesareensis.
361. Julianus Apostata.
381. Concilium Constantinopol. I. Oecumen. II.
411. Collatio Carthaginiensis. Donatistae. Pelagius. Hieronymus.
418. Concilium Carthag. plenar. Augustinus. Zosimus.
431. Concil. Ephesinum. Oecumen. III. Cyrillus Al. Nestorius.
449. Latrocinium Ephesin. Dioscurus. Eutyches.
451. Concilium Chalcedonense. Oecumen. IV. Leo M.
476. Romulus Augustulus. Odoacer.
493. Theodoricus. Cassiodorus. Gelasius.
496. Chlodovaeus. Remigius Rhemensis.
553. Concil. Constant. II. Oecumen. V. Tria capitula. Vigilius Romanus.
604. Gregorius M. Augustinus Apostolus Britannorum.
622. Hegira (Hedschra). Heraclius. Monotheletae.
632. Muhammedis mors Chaliphatus.
638. Heraclii *Ἔκθεσις*. Sergius.
648. Constantii II. *Τύπος*. Martinus I.
680. Concil. Constant. III. Trull. I. Oecumen. VI.
692. — — IV. — II. — Quinisextum.

A. Chr.
726. Leo Isauricus. Iconoclasis.
732. Caroli Martelli victoria apud Pictavium. Bonifacius.
752. Pipinus Rex Francorum.
755. Donatio Pipini. Stephanus III.
771. Carolus Magnus.
787. Concil. Nicaenum II. (apud Graecos.) Oecumen. VII. Irene. Tarasius Patr.
794. Concil. Francofurtanum. Cultus imaginum. Adoptiani.
800. Restauratio Imperii Romani occidentalis.
814. Mors Caroli M.

II. *Historia aevi medii.*

831. Paschasius Radbertus. Ansgarius.
843. Pactum Vereduniense. Imperium Romano-Germanicum.
848. Godeschalcus Monachus. Rabanus Maurus. Hincmar Rhemensis.
858. Photius. Nicolaus I.
936. Otto M.
1050. Synodus Vercellensis. Berengarius. Lanfrancus.
1053. Michael Cerularius. Humbertus.
1059. Nicolaus II. Collegium Cardinalium.
1073. Gregorius VII. (Aldobrandi). Henricus IV.
1085. — — moritur. Anselmus Cantuariensis. Roscelinus.
1095. Urbanus II. Synodus Placent. et Claramont. Petrus Eremita.

A. Chr.
1099. Novum regnum Hierosolymitanum. Godofredus Bullionius.
1118. Ordo Templariorum. Bernhardus Clarovallensis. Abaelardus.
1154. Hadrianus IV. Arnoldus Brixiensis. Fridericus I. Imper.
1198. Innocentius III.
1204. Balduinus I. Regnum Latinorum Constantinopoli instaurat.
1215. Concilium Lateranense. Transsubstantiatio. Dominicani. Fridericus II.
1274. Bonaventura. Thomas Aquinas. Concil. Lugdun.
1300. Jubilaeum primum. Bonifacius VIII. Philippus Pulcher.
1309. Clemens V. a. 1305 electus primus Pontifex Avenionensis.
1378. Schisma magnum papale. Urbanus VI. Clemens VII. Carolus IV. Imper.
1384. Mors Johannis Wiclefi. Universitas Vindobonensis.
1409. Concilium Pisanum. Universitas Lipsiaca.
1414. Concilium Constantiense. Sigismundus Imp. Gerson.
1415. Martyrium Johannis Hussi.
1416. Hieronymus Pragensis combustus.
1417. Martinus V. Pontifex a Concilio electus.
1431 seqq. Concilium Basileense. Aeneas Sylvius. Nicolaus de Clemangis.
1439. Concilium Florentinum. Bessarion. Eugenius IV.

A. Chr.
1453. Constantinopolis a Muhammede II., Turcorum Imp., expugnata. Gennadius Patr. Nicolaus V.
1483. Martinus Lutherus Islebiae natus.
1484. Ulricus Zwinglius Wildenhusae natus. Innocentius VIII.
1492. Alexander VI. Ferdinandus Catholicus. Ximenez. Christoph. Columbus.
1502. Universitas Vitebergensis. Fridericus Sapiens.
1508. Confoederatio Cameracensis. Julius II. Lutherus Professor Vitebergensis.
1513. Leo X. Jacobus de Hogstraten.

III. *Historia recentior.*

1517 (d. 31. Octobr.) Theses XCV Lutheri contra Joh. Tetzelium et indulgentias papales.
1519. Carolus V. Disputatio Lipsiaca. Zwinglius Turicensis reformator.
1520. Lutherus excommunicatus.
1521. Comitia et Edictum Wormatiense. Melanchthonis Loci theologici.
1525. Johannes Constans, Elector. Agrestium tumultus. Albertus Dux Borussiae.
1526. Foedus Evangelicorum.
1528. Disputatio Bernensis.
1529. Comitia Spirensia. Protestantes. Colloquium Marpurgense. Catechismus uterque Lutheri.
1530. Confessio Augustana.

A. Chr.

1531. Mors Zwinglii et Oecolampadii. Confoederatio Schmalcaldica.

1532. Pax de religione in comitiis Norimberg. promissa. Johannes Fridericus Magnanimus, Elector.

1536. Concordia Vitebergensis. Johannes Calvinus.

1537. Articuli Schmalcaldici.

1540. Ignatii Loyolae Ordo Jesuitarum.

1545. Concilium Tridentinum.

1546. Mors Lutheri. Comitia Ratisbonensia.

1547. Confoederatio Schmalcald. dissolvitur. Eduardus VI. Henricus II. Mauritius, Elector.

1548. Interim Augustanum et Lipsiacum. Universitas Jenensis.

1549. Consensus Tigurinus. Adiaphora.

1552. Pactum Passaviense.

1555. Pax de religione Augustana.

1560. Mors Melanchthonis. Colloquium Vimariense.

1563. Decreta Concilii Tridentini. Catechismus Heidelbergensis.

1564. Mors Calvini. Theodor. Beza. Professio fidei Tridentinae.

1570. Consensus Sendomiriensis.

1571. Articuli XXXIX Anglicani. Confessio Belgica.

1577. Formula Concordiae. Conventus Francofurt.

1580. Liber Concordiae.

1592. Articuli visitatorii. Nicol. Crellius.

1598. Edictum Nannetense.

A. Chr.

1609. Liga Catholica.

1618. Initium belli XXX annorum. Synodus Dordracena.

1624. Annus normalis (ex lege Pacis Guestphal.).

1629. Edictum restitutorium. Cyrillus Lucaris.

1631. Colloquium Lipsiacum. Synodus Carentoniensis.

1632. Mors Gustavi Adolphi.

1640. Jansenii Augustinus. Fridericus Guilelmus, Elector Br.

1645. Colloquium charitativum Thorun. Ge. Calixtus. Hugo Grotius.

1648. Pax Guestphalica.

1660. Restauratio regni et eccles. episcopalis in Anglia.

1661. Colloquium Casselanum.

1670. Speneri Collegia pietatis.

1675. Formula Consensus Helvetica.

1682. Concil. nationale Sangerman. Quatuor propositiones Cleri Gallicani.

1685. Revocatio Edicti Nannetensis. Philippus Guilelm. Elector Palatin.

1689. Lex de Tolerantia in Britannia. Lis de Pietismo. Petrus I. Imper. Russiae.

1695. Universitas Halensis. Christ. Thomasius.

1697. Fridericus Augustus, Elect. Saxon. et Rex Polon. Clausula Pacis Ryswicensis.

1701. Fridericus I. Rex Boruss. Gadofr. Guil. Leibnitz. Ursinus. Jablonski.

A. Chr.

1713. Fridericus Guilelm. I. Rex Boruss. Clementis XI. Bulla Unigenitus. Pax Ultraject.

1714. Georgius I. Rex Britann.

1721. Synodus sancta et dirigens in Russia.

1722. Coetus Herrnhutanorum.

1731. Emigratio Salisburgensis.

1740. Fridericus II. Rex Boruss. Maria Theresia, Regina. Christianus Wolfius. Benedictus XIV.

1760. Georgius III. Rex Britann. Zinzendorf. Semler. Ernesti.

1763. Pax Hubertsburgensis. Just. Febronius.

1773. Ordo Jesuitarum suppressus.

1781. Josephus II. reformator. Pius VI.

1786. Mors Friderici II. Punctatio Amisiana. Synodus Pistojensis.

1788. Edictum Friderici Guil. II. de religione.

1789. Revolutionis Gallicanae exordia.

1797. Fridericus Guilelmus III. Rex Boruss.

1800. Pius VII.

1801. Concil. nation. eccl. Gallic. Alexander I. Imp. Russiae.

1803. Conclusum Deputationis Imp. de pace Lunevillensi.

1806. Finis Imperii German. Confoederatio Rhenana.

1809. Roma urbs Imperii Gallicani.

1814. Pax Parisina et restauratio Regni Bourbon. Confoederatio Germanica. Pontificis Rom. et Ordinis Jesuitarum restitutio.

A. Chr.

1816. Foedus Sanctum.

1817. Jubilaeum tertium eccl. evang. Lutheranorum et Reformatorum consociatio.

1830. Jubilaeum tertium Confessionis Augustanae. Nova rerum omnium per totum fere mundum e Gallia egressa perturbatio.

CORRIGENDA.

Pag. 8	lin. 7	(super.)	judaismi lege *judaici*.
— 13	— 2	—	dele *adhuc*.
— 18	— 10	—	Niceno l. *Nicaeno*.
— 20	— 2	(infer.)	Teylor l. *Taylor*.
— 45	— 9	—	esse l. *esset*.
— 106	— 15	—	appareat l. *appareret*.
— 109	— 9	—	delendum *in*.
— 122	— 16	—	possit l. *posset*.
— 133	— 4	—	incoepit l. *incepit*.
— 137	— 11	(super.)	abfuerit l. *abesset*.
— 151	— 17	—	delendum *etsi*.
— 157	— 21	—	adhuc l. *certe*.
— 160	— 13	—	adhuc l. *autem*.
— 197	— 15	—	voluerit l. *vellet*.
— 200	— 6	(infer.)	institutis l. *instituti*.
— 238	— 11	(super.)	subtraxerit l. *subtraheret*.

Augusti, Dr. Joh. Christ. Wilh., Denkwürdigkeiten aus der christlichen Archäologie, mit beständiger Rücksicht auf die gegenwärtigen Bedürfnisse der christlichen Kirche. 7r Bd. gr. 8. 1825. 1 Thlr. 18 Gr.

Auch unter dem Titel:

— — die heiligen Handlungen der Christen. 4r Bd. Archäologie der Taufe und Confirmation.

— — 8r Bd. gr. 8. 1826. 2 Thlr.

Auch unter dem Titel:

— — die heiligen Handlungen der Christen. 5r Bd. Archäologie des Abendmahls.

— — 9r Bd. gr. 8. 1828. 2 Thlr. 8 Gr.

Auch unter dem Titel:

— — die heiligen Handlungen der Christen. 6r Bd. Busse und Absolution; Ehe, Ordination, letzte Oehlung, Todtenamt.

— — 10r Bd. gr. 8. 1829. 1 Thlr. 18 Gr.

Auch unter dem Titel:

— — die heiligen Handlungen der Christen. 7r Bd. Die ausserordentlichen heiligen Handlungen.

— — 11r Bd. gr. 8. 1830. 2 Thlr. 4 Gr.

Auch unter dem Titel:

— — die gottesdienstlichen Personen und Oerter der christlichen Kirche; archäologisch dargestellt.

— — 12r und letzter Bd. gr. 8. 1831. 2 Thlr.

Auch unter dem Titel:

— — die gottesdienstlichen Sachen der alten Christen; archäologisch dargestellt.

— — Chrestomathia patristica ad usus eorum qui historiam dogmatum christianorum accuratius discere cupiunt adornatae. Vol. I. Tractatus ex patribus graecis continens. 8 maj. 1812. 1 Thlr. 6 Gr.

— — Vol. II. Tractatus ex patribus latinis continens. 8 maj. 1812. 1 Thlr. 18 Gr.

— — Versuch einer historisch-dogmatischen Einleitung in die heilige Schrift. gr. 8. 1832. 1 Thlr. 12 Gr.

Beck, Christ. Dan., Recitatio de D. Sam. Fr. Nath. Moro, summo Theologo a. d. XI. Nov. 1792. defuncto. 8 maj. 3 Gr.

— — Commentarii historici decretorum religionis Christianae et formulae Lutheriae. 8 maj. 1801. Druckp. 3 Thlr. 12 Gr.
Holländisch Schreibp. 4 Thlr. 12 Gr.

Chrysostomus, Joh., Predigten und kleine Schriften, aus dem Griech. übersetzt und mit Anmerk. begleitet von Dr. Joh. Andr. Cramer. 10 Thle. 8. 1748—1751. 5 Thlr.

Grimm, M. Gottfr. Christian, de vi vocabuli *ΚΤΙΣΙΣ*. Rom. VIII, 19 seqq. Commentatio, qua simul locus iste Paulinus explanatur. 8 maj. 8 Gr.

Heydenreich, F. E. A., Ueber den Charakter des Landmanns in religiöser Hinsicht. gr. 8. 1800. 1 Thlr. 8 Gr.

Hottinger, Joh. Jacob., Epistolae D. Jacobi, atque Petri I. cum versione Germanica et Commentario Latino in usum juvenum philologiae s. Studiosorum. 8 maj. Charta impress. 18 Gr.
Charta scriptoria 1 Thlr.

Kennikotti, Benj., Dissertationes super ratione Textus hebraici V. T. ex Anglico latine vertit Guil. Abr. Teller. 2 Tom. 8 maj. 1756—1765. 3 Thlr. 12 Gr.

Lessing, Joh. Theoph., Eclogae regis Salomonis. 8 maj. 1777. 10 Gr.

Melanchthonis, Philippi, loci theologici ad fidem editionis primae MDXXI. In memoriam jubilaei hujus libri tertii, denuo editi et dissertationibus aliquot historicis et litterariis illustrati a J. Christ. Guil. Augusti. 8 maj. 1821. 1 Thlr. 6 Gr.

Rosenmüller, E. Fr. K., über einen arabischen Roman des Hariri. gr. 8. 1801. 5 Gr.

Rupp, Dr. J., Gregor's, des Bischof's von Nyssa, Leben und Meinungen, zusammengestellt und erläutert. gr. 8. 1834. 1 Thlr. 8 Gr.

Stier, Rud., neu geordnetes Lehrgebäude der hebräischen Sprache. Nach den Grundsätzen der Sprachentwickelung als durchgängige Hinweisung auf eine allgemeine Sprachlehre dargestellt. 1r und 2r Theil. Die Laut- und Wortlehre. gr. 8. 1833. 2 Thlr. 8 Gr.

Theophilus, Des, von Antiochien Vertheidigung des Christenthums, übersetzt, mit Anmerkungen und Erläuterungen versehen von M. W. F. Thienemann. Mit einer Vorrede des Herrn Dr. Augusti. gr. 8. 1834. 16 Gr.

Velthusen, J. C., Liturgisches Predigerhandbuch zur Beförderung der nöthigen Abwechselungen und einer zweckmässigen Mannichfaltigkeit in den Amtsverrichtungen der Prediger, auch erforderlichen Abänderungen nach Zeit, Ort, Personen und Umständen. 4te Aufl. gr. 8. 1809. 1 Thlr.



